

H-K No 32
1 copy the Hague
Louvain
Oxford Bodl.
Peeters (this one?)
Antwerp.

No copy

5 copies in European libraries

Petri Aegidii Antuerpiani
Hendecaſyllabon ad
lectores.

Quiſquis noſcere fabulas iocoſas
Aeſopi cupis, hunc nouum libellum
Limatum, nitidum, eruditulumq́ꝫ,
Exili tibi compara moneta.
Quo nec terſior eſt, venuſtiorq́ꝫ,
Nec iucundior eſt, facetiorve,
Seu purum inſpicias ſtilum latinum,
Seu tu beſtiolas legas loquentes.
Quin & ſenſiculis ſcatens amœnis,
Vt vita inſtituenda cuiqꝫ monſtrat.
Hunc nec barbarus ore zoilæo
Pinſet, deprimet, atqꝫ lancinabit.
Hũc vel relligioſuli probabunt,
Qui fracti piceo caput cucullo
Ipſis ſunt Cynicis ſeueriores.
Nullos quippe docet feros amores,
Vel (quæ lædere teſtulam iuuentæ
Poſſent) illecebras licentiores.
Sed quid plura moror? libellus iſte
Prorſus nobilis, elegans, latinus,
Horarum eſt ſimul omnium libellus.

F I N I S.

Fabularum quæ hoc libro continentur interpretes atq; autores sunt hi.

Guilielmus Goudanus.
Erasmus Roterodamus.
Aulus Gelius.
Angelus Politianus.
Petrus Crinitus.
Ioannes Antonius Campanus.
Plinius Secundus Nouocomensis.
Laurentius Valla.
Hadrianus Barlandus.

De Aesopi vita, ex nono sermone Codri.
Ex Hermogene de fabula Prisciano interprete.

Martinus Dorpius Ioanni Leupe, Iacobo pape, & Ioanni Niniuitæ eruditissimis in Flandria ludimagistris. S.

EQuidem in ea & sum, & fui semper sententia viri ornatissimi, quã mutare nullus queã, sed nec velim, vt impẽdio plus nutantibus literis consultum putem ab eruditis aliquot nostra memoria viris, qui classicos autores castigate æddiderunt, q̃ a quibusdã gloriolæ aucupib9 (nam alios taceo) q cõmentarioꝝ latifundiis oĩa occuparũt. Ecquis enĩ nõ eo noĩe Aldum Romanũ suspicit, amat, prædicat? hæc mecũ identidẽ reputans, ausus sũ & ipse quiddã min9 (pene dixerim) minimo, nẽpe fabellas Aesopicas rursus emittere, nõ carmine quidẽ illas subrustice cõscriptas, sed prosa oratione nimisq̃ lepide cõcinnatas, vtpote a Guilielmo Goudano, tanto viro vt ab Erasmo meo literatoꝝ q̃si phenice serio sit laudatus. Eam opellam vobis ingeniosæ Flãdrorũ iuuẽtutis præceptorib9 nũcupatim dedico, eo vtiq̧ spectans, vt scholasticuli vestri hoc leuigatorio oẽm tenellaꝝ linguaꝝ scribiliginem pri9 abradant, q̃ ad Liliũ nostrũ vetus atq̧ adeo primum apud Louanienses politioris literaturæ domiciliũ profecti, philosophiæ initient. Adieci paucula ex Gelio, Politiano, Crinito, Epicteto, sed selecta. Qđ si genio quopiã aspirante leuis hæc alea felicit̃ ceciderit, plusculum aliqñ audebo, & quædã meæ ipsi9 fœturæ, quæ interim parturio, pariam dialogos, carmina, prologos in actiones Plautinas, complementũ Aululariæ, atq̧ id gen9 alia. Cur.n. quæso, nõ ausim? quonam absterrear? auxilio videlicet fret9 Thesei quondam vestri, nunc & mei cõiter Nicolai Buscoducẽ, vir (qđ vel tacente me ipsi ꝓbe nostis) exq̃site docti, siue philosophicas familias requiratis, siue venustioris dictiõis lauticias qñ & amici candidi, synceri, humãi, q curã hui9 æditiũculæ i se oẽm deriuauit.

In reliquis idem (quæ est hominis vigilantia) lubens obiturus. Rideri interim ab istis amusis sinistra minerua natis, hoc vero mihi palmarium, quando sui similes, & omnes, & solos in cœlum ferre obstinauerunt. Valete Louanii ex nominatissimo Lilianorum gymnasio, ad decimũ calendas Decembres.

Guilielmus Goudanus canonicus diui Aurelii Augustini Florentio suo illustri Baroni Iselsteyno. S.D.

FAbulas Aesopi cum ex oratione ligata in solutam vertissem, tibi florentissime Florenti dicare placuit. Quam enim sis amans literarum, ex meo Antonio viro literatissimo facile ĩtelligo. Nam eum tu quidem ꝙ eruditum scires acciuisti, & is tui amantissimus est cum ob alia quædam, tum ob amorem tuum erga literatos. Neq; illud præterire debeo, me quoq; a te vehementer amari & te, commendante M. Antonio, succensum desyderio nostri. Appriẽ sane decere solet, qui genere sit illustris, eum esse amicum & familiarem literarum, quæ (vt cætera comoda earum sileam) vel solæ adeo faciunt immortalem. Erit autem harum fabellaꝝ lectio tibi (vt opinor) vtilis. Quippe vbi multa ad bene viuẽdum apposita inuenies. Grata certe earum lectio & iucunda non esse non potest. Hactenus autem eas, illis qui alias complures scripserĩt, fuisse neglectui satis miror. Nec eq̃dem tñ scripturus fuissem, ni & Titus Liuius harũ in historia meminisset, & Flaccũ nostrum ĩ epistolis vsum viderem, & Quintilianum institutionum libris vtendum suadere cernerem. Sed satis iam exordii. Illud te admonitum velim, ne sis inscius animantes, quæ iam mutæ sunt, olim fuisse loquaces. Vale & me vt facis ama.

De Gallo gallinaceo.

Allus gallinaceꝰ, dum verrit ſtercorarium, offendit
g gemmam.quid inquiens rem ſic nitidam reperio? ſi
gemmarius reperiſſet,nihil eſſet eo lætius,vt q̃ pre-
cium ſciret.Mihi quidem nulli eſt vſui,nec magni æſtimo
imo equidem omnibus gemmis granum hordei malim.

Morale. Per gemmam artem ſapientiamq; intellige,per gallum hominem ſtolidum & voluptarium.Nec ſtolidi artes liberales amant,cum vſum earum neſciãt,nec voluptarius,quippe cui vna placeat voluptas.

De lupo & agno.

Lupus ad caput fontis bibens, videt agnum procul infra bibentem, accurrit, agnum increpitat q̄ turbarit fontem. Trepidare agnus,ſupplicare vt parcat innocenti, ſe quãdo longe infra biberit, potum lupi ne potuiſſe quidem turbare,nedum noluiſſe.Lupus contra intonat, nihil agis ſacrilega? ſemper obes,pater,mater,omne tuum inuiſum genꝰ ſædulo mihi aduerſatur.Tu mihi dabis hodie pœnas.

Morale. Vetus dictum eſt, vt canem cedas facile inuenitri baculum.Potens,ſi libet nocere,facile capit nocendi cauſam. Satis peccauit qui reſiſtere non potuit.

De muribus & ranis.

Bellum gerebat mus cum rana, de paludis certabatur imperio. Pugna erat vehemens & anceps. Mus callidus sub herbis latitans ex insidiis ranã adoritur, rana viribus melior pectore & insultu valens, aperto marte hostem lacessit. hasta vtriq; erat iuncea. Quo certamine procul viso, miluꝰ adpropiat, dũq; præ studio pugnæ neuter sibi cauet, vtrũque bellatorem miluus rapit ac laniat. Morale.

Itidem euenire solet factiosis ciuibus, qui accensi libidine dominandi, dũ inter se certant fieri magistratus, opes suas, plærumq; etiam & vitam in periculo ponunt.

De cane & vmbra.

Canis tranans fluuium rictu vehebat carnem. Splendente sole, ita vt fit, vmbra carnis lucebat in aquis, quam ille visam auide captans, quod in faucibus erat, perdidit. Itaq; tũ rei tum spei iactura perculsus, primum stupuit, deinde animũ recipiens sic elatrauit. Miser deerat cupiditati tuæ modus, satis superq; erat ni desipuisses, iam per tuam stultitiã minus nihilo tibi est. Morale.

Monemur hac fabella modestiæ, monemur prudentiæ, vt & cupiditati sit modus, nec certa pro incertis amittamus, Astute certe Terentianus ille Sannio. Ego, inquit, spem precio nõ emam.

De leone & quibusdam aliis.

Cum oue quibusdamque aliis pepigerat leo, venationem fore communem. Itur venatum, capitur ceruus, partiuntur. Singulas singulis partes tollere vt conuenerant incipientibus, leo erugiit. Vna ingens pars mea est, quia sum dignissimus. altera item mea est, quia viribus præstantissimus. porro quia in capiũdo ceruo plus sudauerim, vendico tertiam. quartam denique partem ni concesseritis, actum est de amicitia. Socii hoc audito discedunt vacui & taciti, non ausi mutire contra leonem. Morale.

Rara semper fuit fides, apud hoc sæculum rarior est, apud potentes & est & fuit semper rarissima. Quocirca satius est vt viuas cum pari. Qui enim cum potentiori viuit, necesse habet sæpe de suo iure concedere. Cum æquali æquale tibi ius erit.

De lupo & grue.

Lupo voranti ouem forte ossa hæsere in gula, ambit, orat opem, opitulatur nemo. Omnes dictitant tulisse eum precium voracitatis. Tandem blandiciis multis pluribusque promissis gruem inducit, vt collo longissimo in gulam inserto, os infixum eximeret. Petenti autem præmium illusit. Inepta inquit abi. Non sat sat habes quod viuis?

vitã debes mihi, si libuisset licuit præmordere collũ tuũ.

Morale. Tritum est, Perire quod facis ingrato.

De rustico & colubro.

Rusticus repertum in niue colubrum frigore prope enectum, domum tulit, abiecit ad focũ. Coluber ab igni vim virusq; recipiens, deinde flammam non ferens, omne tugurium sibilando infecit. Accurrit rusticus, correpta sude verbis verberibusq; cum eo iniuriam expostulat, num hãc ferat gratiam? num vitam erepturus sit illi, qui vitam ipsi dederit? Morale Fit interdum vt obsint tibi, quib9 tu profueris, & male de te mereantur ii, de quibus tu bene sis meritus. De apro & asino.

Dum iners asinus irrideret aprum, ille indignans frendebat. Malum quidem ignauissime fueras meritus, sed etiam si tu poena sis dignus, tamen ego indignus, qui a te poenas sumam. Irride tutus, impune tibi licet, tutus enim es ob inertiam. Morale Demus operam, vt cum indigna nobis audimus aut patimur, ne indigna nobis dicam9 aut faciamus. Mali.n.& perditi plærunq; gaudent, si quispiã bonorum eis resistat. Magnipendunt haberi se dignos vltione. Imitemur equos & magnas bestias, qui oblatrantes caniculos cum contemptu prætereunt.

Libitũ est vrbano muri, deambulare rus. Vidit hunc mus rusticus, inuitat, apparatur, itur cœnatum. Depromit ru sticus quicquid posuerat in hyemẽ, exhaurit oẽ penu, vt tã ti hospitis expleat lauticiam. Vrban⁹ tamen frontem cor/ rugans ruris dãnat inopiã, vrbis subinde laudat copiã. Re means ducit secũ in vrbem rusticũ, vt quæ verbis iactita/ rat, re comprobaret. Ineũt conuiuium, quod vrban⁹ splẽdi de cõpararat. Inter epulãdũ, audiẽ in sera murmur clauis, trepidare illi & fugitare fugitando, Rusticus & insuetus & loci ignarus egre se tueri. Discedente famulo redit vrba nus ad mensã, vocat rusticũ, ille vix tandem metu deposi/ to prorepit. Inuitãtem ad pocula vrbanũ, percũctatẽ num hoc piculũ crebrũ sit? Respõdet ille quotidianũ esse, opor tere contẽni, Tum rustic⁹. Quotidianũ inquit? Me hercule istæ dapes plus fellis q̃ mellis sapiũt. Equidẽ malo cum se curitate meam inopiam, q̃ cum tali anxietate istam copiã.

Morale.

Diuitiæ præ se ferunt quidem voluptatem, sed si intro/ spicias, habent pericula & amaritudinem. Eutrapeles qui/ dam fuit, qui quũ inimicis suis q̃ maxime nocere vellet, diuites eos faciebat dictitans ita se eos vlcisci, quippe acce pturos cum diuitiis ingentem sarcinam curarum.

De Aquila, & cornicula.

Aquila nactus cocleam non vi aut arte quiuit eruere piscem. Accedens cornicula dat consilium. Suadet subuolare, & e sublimi cocleam in saxa praecipitare, sic enim fore vt concha frangatur. Humi manet cornicula, vt prestoletur casum, precipitat aquila, frangitur testa, subripitur piscis a cornicula. Dolet elusa, aquila.

Morale.

Noli quibusuis habere fidem, & consilium quod ab aliis acceperis, fac inspicias. Multi enim consulti non suis consultoribus, sed sibi consulunt.

De Coruo & Vulpecula.

Praedam nactus strepitat in ramis coruus.

Videt vulpecula gestientem, accurrit Coruum inquit plurima salute impertit vulpes. Sepenumero audieram famam esse mēdacem, iam re ipsa experior. Nam vt hac forte iam praetereo, suspiciens te in arbore, aduolo culpans famam. Fama enim est te nigriorem pice esse, & video candidiorem niue. Meo sane iudicio cygnos vincis, & hedera formosior alba es. Quod si vt plumis, ita & voce excellas omnium auium equidem te dixerim reginam. Hac assentatiuncula illectus coruus ad canendum apparat, apparanti verō e rostro excidit caseus, quo correpto vulpecula cachynnum tollit, Tum demum miserum coruum pudet

pigetq; sui. Et iactura rei mixta pudore dolet. Morale.

Nõnulli sic auidi laudis sunt, vt cum suo probro & dãno ament assentatorem. Eiusmodi homuntiones predæ sunt parasitis, Quod si vitaueris iactantiam, facile assentatorũ pestiferũ genus vitaueris. Si tu voles esse Thraso, nusq̃ deerit Gnato.

De Leone senectute confecto.

Leo qui in iuuentute complures sua ferocitate fecerat inimicos, in senectute exoluit pœnas, Reddunt talionem bestiæ. Dente aper, cornu petit taurus. in primis asellus, vet⁹ ignauiæ nomen cupiens abolere, verbis & calcibus strenue insultat. Tum gemebundus leo. Hi quibus olim nocui, iã vicissim nocent & merito. Sed hi quib⁹ aliquando profui, iã vicissim nõ ꝓsũt imo etiã imerito obsũt. Stult⁹ fui q̃ multos fecerim inimicos, stultior qui falsis amicis confis⁹ fuerim.

Morale.

In secundis rebus non efferaris, non sis ferox. Nã si vultũ mutarit fortuna, vlciscẽtur quos lesisti. Et inter amicos fac habeas discrimen. Sunt enim quidam amici nõ tui, sed mẽsæ tuæ, sed fortunæ tuæ. Quæ q̃dem fortuna simul ac mutata erit, & illi mutabũtur. Et bene tecũ actũ erit, si nõ inimici fuerint. Merito queritur Ouidius. En ego non paucis quondam munitus amicis. Dum flauit velis aura secũ

da meis.vt fera nymboso tumuerũt æquora vento.In me diis lacera puppe relinquor aquis.

De Cane,& Asino.

Dum blandiretur Canis hero & familiæ, herus & familia canem demulcent, asellus id videns altius gemit, cœpit eũ pigere suæ sortis, inique putat comparatum, canem gratum esse cunctis, pasciq; de mensa herili, idq; ocio ludoq; consequi. Sese contra portare clitellas, cædi flagello, nunq̃ ociosum esse, & cunctis tamen odiosum. Si hæc fiant blã/diciis, eam artem quæ tam vtilis sit statuit sectari. Igitur quodam tempore redeunti domum hero, rem tẽtaturus, procurrit obuiam, subsilit, pulsat vngulis, exclamante hero accurere serui, & ineptus asellus, qui se vrbanum credidit fuste vapulat.

Morale.

Non omnia possumus omnes (vt ait vergilius in bucolicis) nec omnes omnia decent. Id quisq; velit, id tẽtet quod possit. Non simus id quod græce significantius dicitur. id est asinus lyrarum vel lyræ. Sic autem Boetius. Asinus ad lyram positus. Repugnante natura irritus est labor. Tu nihil inuita facies dicesve Minerua. teste Horatio.

De Leone & Mure.

L eo aestu cursu q defessus sub vmbra fronde super/ viridi quiescebat; Murum autem grege tergum ei9 percurrente experrectus vnum e multis comprehendit, supplicat captiuus/indignum se esse, cui leo irascatur clamitat. Reputans ille in nece tantillae bestiolae nihil esse laudis captiuum dimittit. Nec vero ita mulro post leo forte dum p saltū currit incidit in plagas. Rugire licet, exire non licet. Rugientem miserabiliter leonem mus audit, vocem agnoscit, repit in cuniculos, laqueorum quaerit nodos, quaesitos inuenit, inuentos corrodit, leo e plagis euadit. Morale.

Haec fabella suadet potentibus clementiam. Etenim, vt sūt res humanae instabiles, egent interdum ipsi potentes ope humillimorum. Quare vir prudens, et si potest timebit vel vlli hoīum nocere. Qui autē non timet nocere alteri, valde desipit. Quid ita? Quia etsi iam potentia fretus neminem metuis, forsan olim erit vt metuas. Constat enim euenisse claris magnisq regibus, vt vilium homuntinoum vel gratia indiguerint, vel iram metuerint.

De Miluo aegroto.

Lecto decūbebat miluus. Iam ferme moriēs matrem orat precatum ire deos. Mater respondet nil opis illis sperandū a diis, quorum sacra et aras suis rapinis toties violasset.

Morale.

Decet venerari ſuperos. Illi enim pios iuuant, impios auerſantur. In fœlicitate neglecti, in miſeria nõ exaudient. Quare in ſecundis rebus ſis eorum memor, vt in aduerſis reb9 preſentes ſint vocati.

De Hirundinibus.

Cum primum ceptũ eſt ſeri linũ, hirundo ſuadet auiculis impedire ſementem, dictitans ſibi fieri inſidias. Irrident illæ, ſtultam vatem hirundinẽ vocant. Surgente iam lino et vireſcente rurſus monet euellere ſata. Iterum irrident. Matureſcit linum, hortatur populari ſegetem. Quum ne tunc quidem conſulentem audirent. Hirundo auium cœtu relicto hominis ſibi conciliat amicitiam, Init cum eo fœdus cohabitat, cantu demulcet. Cæteris auib9 e lino fiunt retia et laquei.

Morale.

Multi nec ipſi conſulere ſibi norunt, nec recte cõſulentem audiunt. Sed quum in periculis ſunt et damnis, tum demũ ſapere incipiunt et ſuam damnare ſecordiam. Dum ſat ſuperq; conſilii eſt. Hoc inquiunt et illud factum oportuit, ſed preſtat eſſe Prometheum q̃ Epimetheum. Fuere hi fratres, nomina ſunt greca. Alteri conſilium ante rem fuit, alteri poſt rem, Quod declarat interpretatio nominum.

De Ranis, et eorum Rege.

Gens ranarum, quum esset libera Ioui supplicabat dari regem. Ridere Iupiter vota ranarum, ille tamen iterum atque iterum instare, donec ipsum perpellerent. Deiicit ille trabē, ea moles ingenti fragore quassat fluuium, territæ silent ranæ, regem venerantur. Accedunt pedetentim propius tandem abiecto metu, insultant, et desultant, Iners rex lusui est et contemptui. Lacessunt, rursum Iouem orant regem dari, qui strēnuus sit. Dat Iupiter ciconiam. Is præstrennue p/ambulans paludem, quicquid ranarum obuiam fit vorat. De huius igitur seuicia ranæ frustra questæ sūt. Iupiter nō audit. Nam et hodie adhuc queruntur. Vesperi enim ciconia cubitum eunte, ex antris, egressæ raucovlulatu murmurant, sed surdo canunt. Vult enim Iuppiter vt quæ regem clemētē sint deprecatæ iā ferāt inclemētē. Morale.

Perinde atque ranis euenire solet plebi, quæ si regem paulo mansuetiorem habet, ignauum inertem esse causatur, optat aliquando contingere sibi virum. Contra si quando nacta est regem strēnuum, huius seuiciam dānat, prioris lau/dat clementiam. Siue quod semper presentium nos penitet, siue quod verum est verbum. Noua veteribus non esse potiora.

De columba, & Miluis.

Columbæ olim bellum gessere cum miluo, quem vt expugnarent, delegerunt regem accipitrem. Ille rex factus hostē agit non regem. Non segnius ac miluus rapit ac laniat. Pœnitet columbas incepti, satius fuisse putantes, pati bella miluui q̃ tyrannidē accipitris. Morale

Neminem suæ sortis nimium pigeat. Nil est teste Flacco ab omni parte beatum. Equidem meam sortem modo tolerabilis sit, mutari non optem. Multi noua sorte quæsita veterem rursus optarūt. Ita plerique ingenio sumus omnes, nosmet nostri penitet.

De Fure, & Cane.

Furi aliquando panem vt sileat porrigenti respondit canis. Insidias tuas noui, panem das quo desinam latrare. Sed ego tuum mun9 odi, quippe si ego tulero panem, tu ex his tectis cuncta asportabis. Morale.

Caue parui commodi causa amittas magnum, caue cuiuis homini fidem habeas. Sunt enim qui dolo non tantum benigne dicunt, sed & benigne faciunt.

De lupo, & Succula.

Parturiebat succula, pollicetur lup9 se custodem fore fœt9. Respondit puerpera, lupi obsequio se non egere. Si velit pius haberi, si cupiat gratum facere, longius abeat. Lupi

enim officium constare non presentia sed absentia.

Morale.

Non sunt cuncta credenda cunctis. Multi suam operã pollicentur, non tui amore, sed sui, suum quærẽtes commodũ non tuum.

De partu montium.

Olim rumor erat parturire mõtes, homines accurrunt, circunsistunt monstri quippiam non sine pauore expectantes. Pariunt tandem montes, exit mus. Tum oẽs risu emori.

Morale.

Hanc fabellam tangit Oratius. Parturiunt montes inquit nascetur ridiculus mus. Notat autem iactantiam, Iactabundi enim quũ magna profitentur & ostentant, vix parua faciũt. Quapropter Thrasones illi iure sunt materia ioci & scommatũ. Vetat itẽ hæc fabella ĩaneis timores. Plerunque enim grauior periculo est periculi metus, imo ridiculum est quod metuimus.

De Cane venatico.

Canem venaticum qui iam senuerat instigat herus, frustra hortatur. Tardi sunt pedes, non properat, Prehenderat feram, fera edentulo elabitur; Increpitat herus verbere & verbo. Canis respondet debere sibi iure ignosci, iam senuisse,

at iuuenem fuisse strenuum, sed vt video inquit, Nil placet sine fructu. Iuuenem amasti, senem odisti. Amasti prædabundum, odisti tardum edentulum, sed si gratus esses, quem olim iuuenem frugis gratia dilexisti, senem fructuosæ iuuentutis gratia diligeres. Morale.

Recte canis. Nam teste Nasone, Nil nisi quod prodest charum est, en detrahe menti Spem fructus auidæ, nemo petendus erit. Præteriti commodi nulla est memoria, futuri autem gratia non magna, præsentis commodi summa.

Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur, Vulgus amicicias vtilitate probat. De leporib9 & ranis.

Sylua insolito mugiente turbine, trepidi lepores rapide occipiunt fugere. Fugientes, cum obsisteret palus, stetere anxii, vtrinq; comprehensi periculis, quoq; maioris esset incitamentum timoris, vident in palude mergi ranas. Tum ex leporibus vnus prudentior cæteris ac disertior. Quid inquit inaniter timemus? animo opus est. Corporum quidem agilitas nobis est, sed anim9 deest. Hoc periculum turbinis non fugiendum, sed est contemnendum.

Morale.

Omni in re opus est animo. Iacet virtus sine confidentia. Confidentia enim dux & regina virtutis est.

De hedo & lupo.

Capra cum esset pastum itura, hedum domi concludit, monens aperiri nemini, dum redeat ipsa. Lupus, qui id procul audierat, post matris discessum pulsat fores, voce caprisat iubens recludi. Hedus dolos præsentiens, non aperio inquit. Nam etsi vox caprisat, tamen equidem per rimulas lupum video. Morale.

Obaudire parenti filios, ipsis est vtile. & iuuenem seni decet auscultare.

De ceruo & lupo.

Ceruus coram lupo ouem ream facit, modium tritici debere clamitans. Ouis debiti quidem erat inscia, tamen ob lupi præsentiam spondet se daturam. Dicitur solutioni dies. Dies adest, monet ceruus ouem, illa it inficias. Quod enim promiserit excusat factum id metu & præsentia lupi. Votum extortum non esse seruandum. Morale.

Sententia iuris est, Vim vi repellere licet. Ex hac fabella noua quædam nascitur, Fraudem fraude refellere licet.

De rustico & angui.

Rusticus qdam nutrierat anguẽ, iratus aliquãdo bestiam petit securi, euadit illa non sine vulnere. Postea rusticus deueniens ad paupertatẽ, ratus est id infortunii ꝓpẽ anguis

iniuriam ſibi accidere. Igitur ſupplicat angui vt redeat. Ille ait ignoſcere ſe, ſed redire nolle. Neq enim fore ſecurũ, cũ ruſtico tanta ſit domi ſecuris. Liuorem vulneris deſiiſſe, ſuperesse tamen memoriam. Morale.

Ei qui ſemel fidem ſoluit, iterũ habere fidem vix eſt tutũ. Iniuriã quidem donare id ſane miſericordiæ eſt, cauere autem ſibi & decet & prudentiæ eſt.

De Vulpecula, & Ciconia.

Vulpecula vocarat ciconiam ad cœnam. Obſonium in mẽſam effudit, quod cũ liquidum eſſet, ciconia fruſtra roſtro tentãte vulpecula lingit, Abit eluſa auis pudetq pigetq iniuriæ. Poſt pluſculum dierum redit, inuitat vulpeculam. Vitreum vas ſitum erat plenum belli obſonii. Quod quidem vas quum eſſet arcti gutturis, vulpeculæ obſonium licuit videre & eſurire, guſtare non licuit, Ciconia roſtro facile exhauſit. Morale.

Riſus riſum, iocus iocũ, dol9 dolum, fraus meretur fraudẽ.

De Lupo, & capite picto.

Lupus in officina ſculptoris caput humanum repertũ verſat, miratur. Sentiens (id quod erat) nihil habere ſenſus. O pulchrum inquit caput. Eſt in te artis multum, ſed ſenſ9 nihil. Morale.

Externa pulchritudo, si assit grata est. Sin alterutra carendum est, prestat externa q̃ interna carcas. Illa enim sine hac interdum incurrit odium, vt stolidus eo sit odiosior quo formosior.

De graculo.

Graculus ornauit se plumis pauonis. Deinde pulchellus si bi visus, fastidito genere suo, cõtulit se ad pauonũ genus Ille tandem intellecta fraude stolidam auem colorib⁹ nudarunt, & plagis affecerunt. Horatius hanc fabellam primo epistolarum libro narrt dea cornicula. Ait eam olim ador natam collectis, quæ auib⁹ exciderant, plumis, post vbi vna queq; auium suam plumam decerpsit, ridiculam fuisse. Ne si forte suas repetitum venerit olim, Grex auium plumas, moueat cornicula risum, Furtiuis nudata coloribus.

Notat hæc figura eos qui se gerunt æquo sublimius, qui cum his viuunt, qui & ditiores sunt & magis nobiles. Quare sæpe inopes fiunt et sunt ludibrio. Probe Iuuenalis monet. E cœlo descendit, γνῶθι σεαυτὸν, hoc est nosce te ipsum

De Musca, & Formica.

Musca altercabatur cum formica se noblem, illam ignobilem, se volitare, illam repere, se versari in tectis regum, illã cauernis latere, segetem rodere, aquam bibere, se splendide epulari iactitabat, & hæc tamen ocio nancisci. Eregione for

mica se non ignobilē esse, sed suis natalibus contentā, mu-
scam vagam esse, se stabilem, sapere formice grana & flu
enta, qđ muscæ pastilli & vina, atq; hæc se non segni ocio,
at strenua opera nancisci. Porro formicam lætam esse &
tutā, charam omnibus, exemplar deniq; laboris, Muscam
anxiam cum periculo esse, cunctis infestam, cunctis inui-
sam, exemplar deniq; segniciei. Formicam hyemis memo
rem, alimēta reponere, muscam in diem viuere, hyeme aut
esuri turam, aut certe morituram. Morale.

Qui pergit quæ vult dicere, quæ non vult audiet. Musca
si bene dixisset, bene audiuisset. Assentior autem formicæ.
Videtur enim optabilior vita obscura cum securitate, q̄
cum periculo splendida.

De rana & boue.

Rana cupida æquandi bouem, se distendebat. Filius hor-
tabatur matrem cœpto desistere. Nihil enim esse ranam
ad bouem. Illa secundū intumuit, clamitat natus, Cre-
pes licet mater, bouem nunquam vinces. Tertium autem
cum intumuisset crepuit.

Morale.

Cuiq; sua dos est. Hic forma, ille virib9, hic opib9, ille pol
let amicis. Vnūquēq; suo decet esse contentū, valet ille cor

pore, tu ingenio. Quo circa q̄ſq; ſemet conſulat, nec inuide at ſupiori, quod miſerum eſt, nec (quod ſtulticiæ eſt) certa re optet.

De equo & leone.

Venit ad equum comedendum leo, carens autem præ ſenecta viribus, meditari cœpit artem, medicum ſe profitet̃, verborum ambage equum moratur. Hic dolo dolum, artem opponit arti. Fingit ſe nuper in loco ſpinoſo pupugiſſe pedem, orat vt inſpiciens ſentem medicus educat. Pa ret leo, at equus quanta potuit vi calcem leoni impingit, & ſe continuo coniicit in pedes. Leo vix tandem ad ſe rediens, ictu enim prope exanimatus fuerat. Precium inquit fe ro ob ſtulticiam, & is iure effugit, dolum.n. dolo vltus eſt. Morale. Odio digna eſt ſimulatio, & ſimulatiōe capiēda. Non eſt timendus hoſtis, qui hoſtem præ ſe fert, Sed qui cum hoſtis ſit beneuolentiam ſimulat, is demum timēdus & odio digniſſimus,

De equo & aſino.

Equus phaleris ſellaq; ex ornatus, cū ingēti hinnitu per vi am currebat. Currenti aūt onuſtus aſellus forte obſtabat Equ9 ira fremebundus & frena ferox ſpumantia mandens. q̄d inquit tarde ignaue obſiſtis equo? cede inq̄, aut ꝑculco te pedibus. Aſellus contra rudere non auſus, cedit tacitus.

Equo autem prouolanti & cursum intendenti, crepat inguen. Tum cursui & ostentui inutilis, ornamentis spoliatur, dein carrario venditur. Videt postea cum carro venientem asellus, & affatur. Heus bone vir, quid istuc ornati est? Vbi aurata sella? bullata cingula? vbi nitidum frenum? Sic amice necesse fuit euenire superbienti. Morale.

Plærique in secundis rebus elati sunt, nec sui memores, nec modestiæ. Sed quia prosperitate insolescũt, aduersitatem incurrunt. Eos qui felices vidẽtur, monuerim esse cautos. Etenim si rota fortunæ circumacta fuerit, sentient miserrimum genus infortunii esse, fuisse felicem. Accedet ad cumulũ infelicitatis id quoque mali, contemnẽtur ab iis, quos ipsi contempsere, & illudent eis ii, quos ipsi risere.

De auibus & quadrupedibus.

Auibus pugna erat cũ quadrupedibus. Vtrinque spes, vtrinque metus, vtrinque erat periculum. Vespertilio autem relictis sociis, defecit ad hostes. Vincunt aues, duce & auspice aquila. Transfugam vero vespertilionem damnant, vti ne ad aues vnq̃ illi sit reditio, vti ne luce vnq̃ sic volatus. Hæc causa vespertilioni est, vt non nisi noctu volet.

Morale.

Qui cum sociis aduersitatis & periculi particeps esse re-

nuit, prosperitatis & salutis expers erit.

De lupo & vulpe.

Lupus, cũ prædæ satis esset, in ocio degebat. Accedit vulpecula, scitatur ocii causam. Sensit lupus insidias fieri suis epulis, simulat morbum esse causam, orat vulpeculam, deprecatum iri deos. Illa dolens dolum non succedere, adit pastorem, monet petere latebras lupi, hostem enim securũ posse ĩopinato opprimi. Adoritur pastor lupum, mactat, Illa potitur antro & præda. Sed fuit illi breue sceleris sui gaudium. Nam non ita multo post idem pastor & ipsam capit.

Morale.

Fœda res inuidia est, & ipsi interdum autori quoq; perniciosa. Flaccus epistolarum primo. Inuidus alterius rebus marcescit opimis. Inuidia Siculi nõ inuenere tyranni, Maius tormentum.

De Ceruo.

Ceruus in perspicuo fonte se conspicatus, probat procera frõtis & ramosa cornua, sed tibiarum exilitatem damnat. Forte dum contemplat̃, dum iudicat, interuenit venator, Fugit ceruus ocyor pilis, & agẽte nymbos ocyor euro. Insectantur fugientem canes. Sed cum intrasset condensam syluam, implicita sunt ramis cornua. Tum demum tibias laudabat, & cornua damnabat, quæ fecere vt præda esset.

canibus. Morale. Fugienda petimus, petenda fugimus. Placent quæ officiunt, quæ conferunt displicent. Beatitudinem cupimus, priusquam vbi sit intelligamus. Opum excellentiam & bonorum celsitudinem quærimus, in his beatitudinem sitam opinamur, in quibus tamen multum laboris est & doloris. Pulchre id significat Lyricus ille noster. Sæpius ventis agitatur ingens Pinus, & celsæ grauiore casu Decidunt turres, feriuntque summos Fulgura montes.

De vipera & lima.

In fabrica offendens limam vipera, cœpit rodere. Subrisit lima, quid inquiens inepta? quid agis? tu tibi ante contriueris dentes, quam me atteras, quæ duriciam æris præmordere soleo. Morale. Etiã atque etiã vide, quicũ tibi res sit. Si in fortiorem dentes acuis, non illi, sed tibi nocueris.

De lupis & agnis.

Lupis & agnis, quibus natura discordia est, fœdus aliquando fuit, datis vtrinque obsidibus. Lupi suos catulos, Oues canum cohortem dedere. Quietis ouibus ac pascentibus, lupuli matrum desyderio vlulatus ædunt. Tum lupi irruentes, fidem fœdusque solutum clamitant, ouesque canũ præsidio destitutas laniant. Morale. Inscitia est, si in fœdere tua præsidia hosti tradas. Nam qui hostis fuit, ho

stis forsan esse nondum desiit. Fortassis & causam ceperit, cur te nudatū præsidiis adoriať. De sylua & rustico.

Quo tempore etiam arboribus suus sermo erat, venit rusticus in syluam, rogans vt ad securim suam tollere liceat capulum. Annuit sylua. Rusticus aptata securi cepit arbores succidere, Tum & quidem sero, poenituit syluam suæ facilitatis. Doluit seipsam esse causam sui exitii.

Morale. De quo bene merearis vide. Multi fuere q acceptо beneficio, in autoris abusi sunt perniciem.

De membris & ventre.

Pes & manus ventrē olim incusarūt, q ab ocioso eo lucra ipsoꝝ vorarenť. Iubent aut laboret, aut aliūde petat. Supplicat ille semel & iteꝝ, negant tñ manus alimentū. Exhausto inedia ventre, vbi cepere omnes artus deficere, tū manus voluit tandē officiosa esse, veꝝ id sero. Nam vēter desuetudine debilis cibū repulit, ita cūcti artus, dū ventri inuidēt, cū ventre pereūte pereunt. Morale Perinde atq in mēbroꝝ societate est, ita habet se societas humana. Membrū eget membro, amicus eget amico, quare mutuis operis & mutuis officiis vtendū est. Neq diuitiæ, neq dignitatum apices hoīem satis tuētur. Vnicum & summum præsidium complurium amicicia est.

Simea vulpeculam orat, vt partē caudæ sibi donet, ad tegēdas nates. Illi enim esse oneri, quod sibi foret vsui & honori. Respondet illa, nihil nimis esse, & se malle humū cauda sua verri, q̄ simeæ nates tegi. Morale.

Sunt qui egeāt, sunt quibus supet. Nulli tamen diuitum id moris est, vt re supflua beet egenos.

De Ceruo & bobus.

Ceruus venatorem fugiens coniecit se in stabulum, Boues orat vt in præsepi latitare liceat. Boues tutum esse negant, Mox enim & dominum & famulum affuturos. Ille securū se esse ait, modo ne ipsi prodant. Intrat famulus, occultum fœno non videt, exit. Gestire ceruus, & nihil iam timere. Tum vnus e bobus & æuo & consilio grauis. Facile inqt erat hunc, qui talpa est fallere, sed vt herum, qui Argus est lateas, hoc opus, hic labor est. Mox deinde introgredit' herus, qui vt serui negligētiam corrigat, cuncta lustrans oculis, & præsepe manu tentans, cerui deprendit sub fœno cornua. Inclamat famulos, accurrunt, ferā occludunt, capiunt.

Morale. In aduersis rebus & periculis, latebræ difficiles sunt inuentu, aut quia miseros vt cœpit fortuna exagitat, aut quia ipsi metu impediti & inopes consilii, se-

met imprudentia produnt. De leone & vulpe.

Leo egrotabat, visebant animalia, vna officium differente vulpecula. Ad hanc legatum mittit leo cum epistola, quæ venire admoneat, gratissimam rem ægroto fore eius vnius præsentiam, nec quicq̃ periculi fore, cur vulpecula metuat, leonem enim primum quidem amicissimũ esse vulpeculæ, ideoq; percupere eius colloquium, deinde ægrotũ esse & decumbere, vt etiam si, id qđ non erat, velit nocere tamen nõ queat. Rescribit vulpecula optare se, vt leo conualescat, idq; oraturam superos, cæterum minime visurã, terreri enim se vestigiis, quæ quidem vestigia cum omnia sint antro leonis aduersa, et nulla auersa, eam rem indiciũ esse multum quidem animalium introisse, sed exisse nullum. Horatius. Olim quod vulpes ægroto cauta leoni Respondit, referam, quia me vestigia terrẽt, Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Morale.

Caue fidem habeas verbis, ni caueris, sæpe tibi dabuntur verba. Capienda est coniectura cum ex verbis, tum ex factis, et ex his illa sunt iudicanda.

De vulpecula et mustela.

Vulpecula longa inedia tenuis, forte p angustiorem rimã in cameram frumenti repsit, in qua cum probe pasta fuit,

dein rursus tentãtem egredi distent⁹ impediit venter. Mu/
stela luctantem procul contemplata, tandem monet, si exi
re cupiat, ad cauum macra redeat, quo macra intrarat.

Morale. Videas complures ĩ mediocritate lætos esse
atq; alacres, vacuos curis, expertes animi molestiis, Sin hi
diuites facti fuerint, videbis eos moestos incedere, nunquã
frontem porrigere, plenos curis, animi molestiis obrutos.
Hanc fabellam sic Horatius canit. Forte per angustam te-
nuis vulpecula rimam Repserat in cameram frumenti, pa
staq; rursus, Ire foras pleno tendebat corpore frustra. Cui
mustela procul, si vis (ait) effugere istinc, Macra cauum re-
petas arctum, quem macra subisti.

De equo, & Ceruo.

Equus gerebat bellum cum ceruo. Puls⁹ tandem e pascuis
implorabat opem humanam. Redit cum homine descen-
dit in campum, victus antea, iam fit victor. Sed tamen ho-
ste victo & sub iugum misso, ipse victor necesse est seruiat
homini. Equitem fert dorso & frenum ore. Morale.
Dimicant multi cõtra paupertatem. Qua per fortunam &
industriã victa, sepe victoris interit libertas. Domini qui-
dem & victores paupertatis, seruire incipiũt diuitiis, angũ
tur auariciæ flagris, parcimoniæ cohibent̃ frenis, nec quæ

rendi tenent modum, nec iusto quidem auariciæ supplicio partis rebus audēt uti. Horati⁹ de hac fabella. Ceruus equū pugna melior communibus herbis, Pellebat, donec minor in certamine longo. Implorauit opes hominis frenumq; recepit. Sed postq̄ violēs victor discessit ab hoste. Non equitem dorso, nō frenū reppulit ore. Sic qui pauperiem veritus potiore metallis, Libertate caret, dominum vehet improbus, atq; Seruiet æternum qui paruo nesciet uti.

Fabulæ Auiani, Guilielmo Hermanno Diui Augustini ordinis canonico interprete mutatæ incipiunt feliciter.

De nutrice & lupo.

Nutrix minatur puerum plorantem (ni taceat) dari lupo. Lupus id forte audit, spe cibi manet ad fores. Puer tādem silescit, obrepente somno. Regreditur lupus in syluam ieiunus & inanis, lupa vbi sit præda sciscitatur, gemebūdus ille, verba inquit mihi data sunt. Puerum plorantem se abiicere minabatur nutrix, ac fefellit.

Morale. Fœminæ non eſt habenda fides.

De teſtudine et aquila.

Ceperat teſtudinem tœdium reptandi. Si quis eam in cœlum tolleret, pollicetur baccas maris rubri. Suſtollit eam aquila, poſcit præmium, non habentem fodit vnguibus. Ita teſtudo quæ concupiit videre aſtra, in aſtris vitam reliquit. Morale.

Tua ſorte ſis contentus. Fuere nonnulli, qui ſi manſiſſent humiles, poterãt eſſe tuti, facti ſublimes inciderũt pericula.

De cancris matre et filio.

Cancrum retrogradum monet mater, antrorſum vt eat. Filius reſpondet, mater inquit i præ, ſequar.

Morale. Nullum reprehenderis vicii, cuius ipſe queas reprehendi.

De ſole et aquilone.

Sol et ventus aquilo certant vter ſit fortior, conuentum eſt experiri vires in viatorem, vt palmam ferat, q excuſſerit manticam. Boreas horrifico nymbo uiatorem aggreditur, ac ille non deſiſtit, amictum gradi duplicans. Aſſunt uices ſolis, qui nymbo paulatim euicto emolitur radios, Incipit uiator æſtuare, ſudare, anhelare, tandem progredi nequiens captat frigus opacũ, atq; ſub frondoſo nemore

abiecta mantica resedit. Ita soli contigit victoria.

Morale.

Qui cum certes etiam atque etiam vide. Nam etsi tu fortis es, est forsitan aliquis te fortior. Aut si nō fortior certe callidior, vt consilio suo tuum vincat robur.

De asino.

Asinus venit in syluam, offendit exuuias leonis, quibus indutus redit in pascua, greges armentaque territat ac fugat. Venit qui perdiderat, quæritat suum asinum. Asinus viso hero occurrit, imo cum rugitu suo incurrit. At herus prehensis quæ extabāt auriculis, alios licet (inquit) fallas ego te aselle mi probe noui.

Morale.

Quod nō es ne te esse simules. Non doctum, cum sis indoctus, non diuitem, non nobilem, cum sis pauper & ignobilis, te iactes, vero enim comperto rideberis.

De rana & vulpe.

Rana egressa paludem, in syluis apud feras medicinam profitetur, ait se nec Hippocrati nec Galieno cedere. Cæteris habentibus fidem, illusit vulpes. An hæc inquit medicinæ habebitur perita, cui sic pallet os? quin curat seipsam? Sic illusit vulpes, est enim ranæ os ceruleo colore.

Morale.

Stulticiæ est profiteri quod nescias & ridiculum.

De cane mordaci.

Cani fubinde homines mordenti, vt fibi quifq; caueret, al ligarat dominus nolam. Canis ratus virtuti fuæ tributum decus, fuos populares defpicit. Accedit ad hunc canum aliquis iam ætate atq; autoritate grauis, monens eũ ne erret, nã ifta inquit nola data eft tibi in dedecus, non in dec⁹. Morale. Gloriofus interdum fibi ducit laudi, quod ipfi eft vituperio.

De camelo.

Camelus fui pœnitens querebat̃ tauros infignes ire gemi nis cornibus, fe inermem obiectũ cæteris aĩalib⁹. Orat Io uem donari fibi cornua. Ridet Iuppiter ftulticiam cameli, nec modo votum negat, verum & auriculas beftiæ decurtat. Morale. Sit quifq; fortuna contentus fua, etenim multi fortunam fecuti meliorem, incurrere peiorẽ.

De duobus amicis & vrfo.

Duo amici faciunt iter, occurit in itinere vrfus, vnus arbo re confcenfa periculũ euitat, alter (cum fpes fugæ nõ effet) collidit fe humi. Accedit belua, contrectat iacentem, os explorat & aures, homine fpiritum continente & motum, vr fus, qui mortuis parcit, ratus cadauer effe, innocuus difcedit. Percunctanti poftea focio, quidnam beftia dixiffet la-

centi in aurem, hoc monuisse ait, ne vnq̃ cum illiusmodi amicis iter faceret. Morale.

Rara auis in terris nigroq; simillima cygno fides est. Veꝝ amicum res aduersæ & pericula monstrant.

De equite caluo.

Eques calu⁹ illigarat pileo comam ficticiam. Venit in cã-pum acri spirãte borea, ac dum male obseruat capillatum galerum, subito apparet caluities. Tollit cachinnum coro/na, necnon & ipse ridet. Quid noui est inquit auolare capil los alienos? quum olim defluxerint qui fuerant mei?

Morale. Belle fecit eques, qui non indignatus est sed cum ridentib⁹ risit. Socrates vero cum accepisset in fo ro alapam, hoc modo respõdit. Molestum esse scire homi-nes, quando debeant prodire cum galea.

De duabus ollis.

Duæ ollæ stetere in ripa, altera erat lutea, altera ærea, vtrã que tulit vis fluuii. Luteæ collisionem metuenti, respõdet ærea ne quid timeat, sese enim ne collidantur satis curatu/ram. Tum altera, seu me inquit tecũ, seu te mecum flumen colliserit, cum meo vtrunq; fiet periculo. quare certum est a te seperari. Morale.

Satius est viuere cum socio pari, q̃ cum potentiori. A po-

tentiori enim poteſt eſſe periculum tibi, non illi a te.

De ruſtico & fortuna.

Ruſticus cum araret, offendebat in ſulcis theſaurum, grati as agit telluri, quæ hunc dediſſet. Fortuna videns nihil ho noris haberi ſibi, ita eſt ſecũ locuta. Theſauro reperto ſtoli dus mihi non eſt gratus, at eo ipſo theſauro poſtea amiſſo me primam omnium, votis & clamore ſollicitabit.

Morale. Beneficio accepto, grati ſimus bene de no bis merenti. Ingratitudo enim digna eſt, etiam beneficio quod iam accepit priuari.

De tauro & capro.

Fugit leonem taurus, venit ad ſpeluncam quærens latibu lum. Intranti occurſat cornibus qui intus erat caper. Tum iis verbis bos emugit. Tu equidem cornibus tuis meam fu gam excipis, verum ſi abierit quem fugio, quantum a viri bus tauri diſtet caper, tum ſenties. Morale.

Quis neſcit miſeris eſſe ſuccurrendum, aut certe nõ nocen dum? Quiſquis enim a miſerorum iniuria non temperaue rit, ſi (vt eſt fortuna mutabilis) miſeris redierit felicitas, ni mirum nocuiſſe miſeris eum pœnitebit.

De ſimea & eius prole.

Omnes animãtes ſuo conſpectui Iuppiter adeſſe iuſſerat,

cuius nam soboles esset pulcherrima iudicaturus. Properant feræ, aduolant aues, nec non ad id certamen adnatant pisces. Omnium postrema festinat simea, trahens secum suam prolem, cuius quidem prolis fœdas nates cunctis ridentibus, sic infit. Maneat cui fauerit Iuppiter victoria, meo tamen iudicio hic meus natus est bellus, & omnium natis iure præferendus. Hoc dicto subrisit & Iuppiter.

Morale.

Et nos & nostra nobis placent. Sed de nobis & de nostris factis aliorum sit iudicium, ne si ipsi iudicemus, cum simea rideamur.

De Pauone & grue.

Pauo & grus vna cœnant, pauo se iactat, caudam ostētat, gruem contemnit. Grus fatetur pauonē formosis esse pennis, se tamen (dum vix tectis superuolat pauo) animoso volatu penetrare nubes.

Morale.

Nemo alterum contempserit. Sua cuique dos, sua cuique est virtus. Qui tua veritate caret, forsan habet qua careas tu.

De quercu & arundine.

Validiore notho effracta quercus in flumen præcipitat dumque fluitat, heret forte ramis suis in arundine, miratur arundinem in tanto turbine stare incolumem. Hæc respondet, cedendo & declinando se esse tutam, inclinare ad nothum & ad boream, ad omnem flatum, nec mirum esse quod que

cus exciderit, quæ non cedere sed resistere concupiuit.

Morale. Potentiori ne resistas, sed hunc cedendo & ferendo vincas, quod pulchre docet facundissimus poetarum Vergilius. Nate dea quo fata trahunt retrahũtq; sequamur, Quicquid erit superãda oĩs fortuna ferendo est.

De tigride & vulpe.

Venator iaculis agitabat feras. Tigris iubet omneis feras abstinere, sese vnam ait bellum confecturam. Pergit venator iaculari, tigris oppido sauciatur. Fugientem e prælio telumq; extrahentem percunctatur vulpes, quisnam valentem beluam tam valde vulnerasset. Respondet se autorem vulneris haud nosse, verum ex vulneris magnitudine capere se coniecturam, aliquem fuisse virum. Morale. Fortes plærumq; sunt temerarii, & ars vim, ingenium fortitudinem superat.

De tauro & leone.

Quatuor fuere tauri, quibus placuit communem ipsorũ esse salutem, & commune periculum. Videt leo simul pascentes, & si esurit tamen coniunctos aggredi metuit. Primum dat operam, verbis fallacibus segregare, tum segregatos laniat. Morale. Concordia nihil est firmius, discordia etiam fortes reddit imbecilles.

Fertur olim abies despicere dumos, iactitat se procerã esse locari in ædibus, cum velo stare in nauibus, dumos autem, humiles, viles, nulli vsui idoneos. Quorũ quidem tale fuit responsum. Tu sane abies tuis gloriare bonis, vt nostris in sultas malis, verum nec tua refers mala, & nostra præteris bona, quum tu sonanti detruncare securi, q̃ velles tũ nobis qui securi sumus, te esse similem. Morale.

Et summæ fortunæ sua ĩsunt mala, & humili fortunæ sua bona. Vt nil aliud nunc dicam, hæc secura est ac tuta, illa nec extra metũ est, nec caret periculo. Horatius canit in lyricis. Celsæ grau iore casu Decidunt turres, feriũtq́ sum mos Fulgura montes. De piscatore & pisciculo.

Subductus hamo pisciculus orat piscatorem se dimitti, ait modo se a matre fusum, atq́ mensam (cum adhuc minutus sit) non multum iuuare, si dimittat, postea grandem vltro ad hamum eius rediturũ. Piscator negat se dimittere prædam certam, licet exiguam, Quid habeam inquit scio, q̃d sim habiturus nescio. Ego spem pretio non emo.

Morale. Certum præstat incerto, præsens futuro, & si nõnunq̃ exile cõmodum omissum attulit magnum.

De alite & pullis eius.

Ales positos ĩ segete pullos monet, vt dum ipsa abest, dili genter attendant, si fiat sermo de occatione. Redeunti e pa stu matri pulli anxii narrãt dominum agri operam illam mandasse vicinis. Respondet nihil esse periculi. Item alio die trepidi aiunt, rogatos esse ad metendum amicos. Iterũ iubet illa vt sint securi. Tertio vt audiuit ipsum dominũ cum filio statuisse postero mane cum falce messem intrare, Iam inquit tempus est vt fugiamus. Vicinos & amicos nõ timui, quia non venturos sciui, timeo dominum, illi enim res est cordi.

Morale.

Secordes alienis in rebus plærique sumus. Quod si quid recte curatum velis, alteri ne mandes, sed cures ipse.

De auaro & inuido.

Duo homines orabant Iouem, cupidus & inuidus. Mittitur a Ioue Apollo, per hunc vt eorum votis satisfiat. Dat vtrique liberã optandi facultatẽ hac cõditione, vt quodcunque petisset alter, idipsum alter acciperet duplicatum. Hæret diu cupidus, quum nihil putat fore satis. Petit tandem nõ pauca, & duplum accipit socius. Porro inuidus hoc petit, vt ipse vno priuetur oculorum, lætus socium mulctãdum esse vtroque.

Morale.

Auaritiam quid possit satiare. Inuidia vero dementius est nihil, quæ dum

modo noceat alteri, sibimet imprecatur malum.

De leone & capella.

Vidit leo pendere dumosa de rupe capellam, suadet descẽdere, vt in campo thymum salicesq; carpat. Recusat capella descendere, verba quidem eius haud sane mala, sed mentem esse plenam doli reclamans. Morale.

Cogita qs qd suadeat. Multi suadẽt vtilia, nõ tibi, sed sibi.

De cornice & vrna.

Sitibunda cornix repperit vrnam aquæ, sed erat vrna profundior, q̃ vt posset a cornice aqua contingi. Conatur effundere vrnam, nec valet. tum lectos ex harena scrupulos iniectat, hoc modo aqua leuatur & cornix bibit.

Morale. Interdum id quod non potes efficere vi, efficies prudentia & consilio.

De leone & venatore.

Litigat leo cum venatore; suam præfert leo fortitudinem hominis fortitudini, post longa iurgia venator ducit leonem ad mausoleum, in quo sculptus erat leo caput deponens in gremium viri. Negat fera id satis esse iudicii, homines enim sculpere quod vellent ait, quod si & leones forẽt artifices, iam virum sculptum iri sub pedibus leonis.

Morale. Quisquis (quoad potest) & dicit & facit, qđ

suæ parti & causæ putet prodesse.

De puero & fure.

Sedebat puer flens ad puteũ, fur rogat causam flendi, puer dicit rupto fune incidisse ĩ aquis vrnam auri, homo exuit se, insilit in puteum, quærit, vase non inuento conscendit, atq; ibi nec puerum nec suam inuenit tunicam. Puer quippe sublata tunica fugerat. Morale.

Falluntur interdum qui fallere solent.

De rustico & iuuenco.

Erat rustico iuuencus vinculi omnis iugiq; impatiens, homo astutulus bestiæ resecat cornua, cornib⁹ enim petebat. tum iungit non currui, sed aratro, ne (vt solet) herum pulsaret calcibus. Stiuam ipse tenet, gaudens industria effecisse, vt iam foret tutus & a cornibus & ab vngulis. Sed quid euenit? Taurus subinde resistens, spargendo pedibus, os caputq; rustici opplet harena. Morale.

Sunt nonnulli sic intractabiles, vt nulla queant arte, nullo consilio tractari. De satyro & viatore.

Satyrus, qui deus nemorum olim est habitus, viatorem niue obrurum, atq; algore enectum miserat⁹, ducit ĩ antrum suum, fouet igni, spirantem autem in manus percunctatur causam, qui respondens, vt calefiant inquit. Postea cum ae

cumberēt, sufflat viator in polenta, quod cur faceret inter rogatus, vt frigescat inquit. Tum continuo satyrus viatorem eiiciens, nolo inquit ī meo sit antro, cui tam diuersum est os. Morale. Caue sit in tuo conuictu homo duplici ore, quiq; in sermone est Protheus.

De apro & rustico.

Apro vastanti segetes rusticus praecidit auriculam, iterum deprehenso praecidit alteram, & tunc quoq; redeuntem capit, captum portat in vrbem, destinatum lauticiae sui patroni. Secta iam in conuiuio belua, nusq̄ apparet cor. Excādescente hero, & flagitante coquos, villicus respondet. Patrone (inquit) non est mirum non apparere cor, nam credo stultum aprum nunq̄ cor habuisse, nā si cor habuisset, nunq̄ in poenam suam ad meas segetes toties redisset. sic rusticus, at omnes conuiuae emori risu, cachinnari de stultitia rustici. Morale. Multorum hominum tam est excors vita, vt an cor habeant possis ambigere.

De tauro & mure.

Mus tauri pedem momorderat, fugiens in antrum suum. Taurus vibrat cornua; quaerit hostem, nusq̄ videt. Irridet eum mus; quia inqt robustus es ac vastus, non iccirco quēuis contēpseris. Nūc te, & quidem gratis, lesit exiguꝰ mus;

Morale.

Tritum est illud verbum, quod significantius nostrate lin gua dixerim. Niemant en kenne siin viant te cleyn. Latine sic. Nemo suum hostem floccipendat.

De rustico & Hercule.

Rustici currus hæret in profundo luto. Non supinus deũ Herculem implorat, intonat vox e cœlo. Inepte inquit fla gella equos & ipse annitere rotis, atq; tum Herculem voca to, tum enim aderit Hercules vocatus. Morale.

Nil prosunt ociosa vota, quæ sane deus nõ audit. Iuua te/ met (inquiunt) ipse, tum iuuabit te deus.

De ansere.

Fuit anser qui ponebat oua aurea, singulis dieb9 singula dominus, vt subito fiat diues, anserem iugulat, sperans in tus latere gazam, sed ansere inuento vacuo stupet miser, anxieq; dehinc suspirat, ac plangit & rem & spem perisse.

Morale. Moderanda sunt vota, curandum est, ne vel præproperi simus vel nimii. Nam & festinantia nocet, & qui plura q̃ decet quærit, interdum acquirit nihil.

De cicada & formica.

Quum per æstatem cicada cantat, formica suam exercet messem, trahit in antrum grana, reponens in hyemem. Se quiente bruma, famelica cicada venit ad formicam, mendi

cat victum. Renuit formica, dictitans sese dum illa cantabat laborasse. Morale. Qui segnis est in iuuenta, egebit in senecta, & qui non parcit olim mendicabit.

De simea & duobus natis eius.

Simea (vt ferunt) cū peperit gemellos, alterū diligit, alterū negligit. Erat puerpera cum duobus gemellis, nec cum incidisset terror vitatura periculum, dilectum præhendit vlnis, quem dum præceps fugitat, collidit petræ atq; enecat, neglectus autem, qui in hirsuto hæserat tergo fugientis, mansit incolumis. Morale.

Solet euenire, vt ipsi parentes filio quem tenere amāt, præ nimia indulgentia sint mali occasio & periculi, eo quem minus amarunt prestante se strenuum ac probum.

De boue & iuuenco.

Bos iam grandis æuo quotidie trahebat aratrum, iuuencus laboris expers vicinis exultat in pascuis, ac tandem insultat fortunæ senioris. Iactat se iugi ac vinculi inscium, se liberum, se ociosum, illi attritum esse labore collum, deniq; se glabrum ac nitidum, illum esse hirtum & squalidū. Senior tum quidem nihil contra, sed breui post tempore videt hunc insultorem duci ad aras, ac tum hisce verbis affatur, quo tua mollis vita peruenit? Securum istud ocium

rediit ad securim, iam saltem (vt opinor) poti⁹ suades mihi laborem, qui me tuetur, quam ocium quod nunc te traxit ad necem. Morale.

Ad vitam recte gerendam opus est labore & vigilantia. Secors autem & voluptati deditus, suarum rerum quem nolet sortietur exitum.

De cane & leone.

Occurrit canis leoni, iocatur, quid tu miser exhaustus inedia pcurris syluas & deuia? me specta pinguem ac nitidũ, atq; hæc non labore consequor sed ocio. Tum leo. Habes tu quidem tuas epulas, sed habes stolide etiam vincula, tu seruus esto qui seruire potes, equidem sum liber nec seruire volo. Morale.

Pulchre respondit leo, quibuslibet enim rebus potior est libertas. De piscibus.

Piscis fluuialis vi fluminis correpť est in mare, vbi suam efferens nobilitatem, omne marinum genus vilipendebat. Non tulit hoc phoca, sed ait tunc fore iudicium nobilitatis, si cum phoca captus portetur in forum, se emptum iri a nobilibus, illum autem a plebe. Morale.

Multi sic capti sunt libidine gloriæ, vt sese ipsi prædicent & iactent, Sed laus sui oris non datur homini laudi, at ex

cipitur cum auditorum risu.

De pardo & vulpecula.

Pardus cui pictum est tergum, cæteris feris, etiam leonib⁹ despectis, intumescebat. Accedit ad hũc vulpecula, suadet non superbire, dicens illi quidem speciosam esse pellem, sibi vero speciosam esse mentem. Morale.

Discrimen est bonorum & ordo, Bona corporis præstant bonis fortunæ. Vtrisq; illis animi bona præferãtur oportet.

Generosissimo adolescenti Antonio Bergeñ. Hadrian⁹ Barlandus. S.D.P.

Memoriæ datum est Aesopum fabulatorem multo lepidissimũ fabulas suas æditurũ, eas Cræso regi dedicauisse, et nuper Guilielm⁹ Goudanus vir summa doctrina expolitos a se Aesopi apologos non ingeneroso apud Hollandos principi Florentio ysselsteyno nũcupauit. Quorum ego maximorum virorum exemplo prouocatus, anno superiore Leonardo Seuenbergensi patrueli tuo fabulas a me mutatas dicaui, et nunc nõ a me sed ab Erasmo viro vtriusq; linguæ doctissimo latinitate donatas fabulas tibi iustissime consecro Antoni generosissime, q vix primas adulescẽtiæ metas ingressus bene literat⁹ es, literatosq; omneis tantum amas quantum nobilium adulescentium hodie nullus, Taceo q meis studiis valde faues, præterq; meritum meũ in

me fueris beneficiis. Vale. Egidium Rengotum praecepto rem tuũ virum apprime linguae latinae sciẽtem meis verbis saluta. Louanii ex Gymnasio Porcianorum.

Apologi ex Chiliadibus Adagiorum Erasmi desumpti ad communem puerorum fructum.

De vulpe et Pardale.

Cum aliquando pardalis vulpem prae se contemneret, quod ipsa pellem haberet omnigenis colorũ maculis variegatam, respondit vulpes sibi id decoris in animo esse, qđ illi esset in cute. Neq; vero paulo satius esse ingenio praeditum esse vafro, q̃ cute versicolore.

De vulpe & fele.

Cum aliquando vulpes in colloquio, quod illi erat cum fele, iactaret sibi varias esse technas, adeo vt vel peram haberet dolis refertam, feles autem responderet sibi vnicã dumtaxat artem esse cui fideret, si quid esset discriminis. Inter cõfabulandũ, repente canum accurrẽtium tumultus auditur, ibi feles in arborem altissimã subsiliit, cum vulpes interim a canum agmine cincta capitur. Morale.

Innuit fabula praestantius esse nõnunq̃ vnicũ consiliũ, modo id sit verũ & efficax, q̃ plures dolos, consiliaq; friuola.

De rege & simiis.

Rex quidam Aegyptius aliquot ſimias inſtituit, vt ſaltã-
di rationem ꝑdiſcerent, vt enim nullũ animal ad figuram
hominis propius accedit, ita nec aliud actus humanos, aut
melius, aut libentius imitatur. Artem itaq; ſaltandi proti-
nus edoctæ ſaltare cœperunt, inſignibus indutæ purpure
is, ac perſonatæ, multoq; iam tempore maiorem in modũ
placebat ſpectaculum, donec e ſpectatoribus facetus quiſ-
piam, nuces quas clanculum in ſinu geſtabat, in mediũ ab
iecit, ibi ſtatĩ ſimiæ, ſimul atq; nuces vidiſſent, oblitæ cho
reæ, id eſſe ceperunt, quod antea fuerant, ac repente e ſal-
tatricibus in ſimeas redierunt, contritiſq; perſonis, dilace-
ratis veſtibus, pro nucibus inter ſe depugnabant, non ſine
maximo ſpectatorum riſu. Morale.

Admonet hæc fabula fortunæ ornamenta nõ mutare ho-
minis ingenium. De aſino & viatoribus.

Duo quidam, cum in deſertis locis aſinum quẽpiam forte
fortuna nacti eſſent, contendere inter ſe ceperunt, vter eo-
rum, vti ſuum, domum abduceret, nam vtriq; pariter a for
tuna videbatur obiect⁹. Hac interim de re illis inuicem al
tercantibus, aſinus ſeſe ſubduxit, ac neuter eo potitus eſt.
Morale. Quidam a præſentibus commodis, quibus
ob inſcitiam vti neſciunt, excidunt.

De piſcatoribus.

Piſcatores aliquot iacto reti, teſtudines eduxerunt, eas cũ eſſent inter ſeſe partiti, neq; ſufficerent omnibus comedendis, Mercurium forte accedentem inuitarunt ad conuiuiũ. At is intelligẽs ſe neutiq̃ humanitatis gratia vocari, ſed vt eos faſtidito cibo ſubleuaret, recuſauit, iuſſitq; vt ipſi ſuas teſtudines ederent quos cepiſſent. Morale.

Nonnulli poſteaq̃ inconſulte quippiam adorti ſunt, aliorum implorant auxilium, quos ſuo negotio admiſceant.

De aſino.

Apud Cumanos aſinus quiſpiam pertæſus ſeruitutẽ, abrupto loro ĩ ſyluam aufugerat, illic forte repertum leonis exuuium corpori applicabat ſuo, atq; ita pro leone ſeſe gerebat, homines pariter ac feras voce caudaq; territans, nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modum regnabat aliquãdiu perſonatus hic aſinus pro leone immani habitus, ac formidatus, donec hoſpes quiſpiam Cumas profectus, qui ſæpenumero viderat & leonem & aſinum, atq; ob id non erat difficile dinoſcere aurium prominentium indicio, neq; non aliis quibuſdam coniecturis aſinum eſſe deprehendit, ac probe fuſtigatum reduxit, dominoq; cognoſcẽti reddidit. Interim autem riſum non mediocrẽ con

citabat omnibus Cumanis asinus iam agnitus, quos dudũ creditus leo metu propemodum exanimauerat.

De scarabeo & aquila.

Scarabeus aliquando spretus ab aquila, cœpit de vindicta quoquo modo sumenda cogitare, peruestigauit vbi nam aquila nidum collocasset, adrepsit scarabeus, & oua simili dolo deiecit. Aquila cum sæpius domicilium commutasset, neq; quicq̃ proficeret, Iouem patronum adiit, exponit calamitatem suam, is iubet vt suo in gremio ponat oua, vel illic in tuto futura. Et huc per vestis lacinias sinusq; prorepsit pertinax scarabeus, haud quaq̃ sentiẽte Ioue. Deinde vbi videt oua commoueri Iupiter, neq; satis animaduertit vnde, territus rei nouitate, excusso gremio in terram deiecit.

De simiis & pardale.

In Maurusia simiar; ingens copia. Pardalis autem animal est natura simiis infestissimum, quas tñ viribus assequi nõ potest, nimir; illis ĩ sũmas arbores subuolantib9. His itaq; dolis in eas vtitur. Sternit se supinam sub ramis, ac porrectis crurib9 emori fingit sese. Gaudẽt eo spectaculo simeæ cõsidentes in arbore, deiñ vbi iam mortuã arbitrant̃, vnã aliquã emittũt, exploraturã num vere mortuus sit hostis,

illa cautim ác pedetentim accedẽs, vbi nullum vitæ videt argumentum, pardale nimirum modis omnibus cadauer imitante, demũ audet ẽt conſcendere, qđ ſimulac reliquæ ſimiæ conſpexerint, iam depoſito omni metu deſcẽdunt, & pardalim omnia ferentem circunſultant, poſtremo con culcant inſultantes ludibrii cauſa, donec ſentiens illas iam ſaltando defatigatas, derepente reuiuiſcens, aliam dentib9 aliam vnguibus corripit laniatꝗ ac deuorat.

De ſatyro & ruſtico Auiani fabu la Eraſmo quoꝗ interprete.

Satyrus quidam cum vehemẽter algeret, hyberno gelu ſu pra modum ſeuiente, a ruſtico quodam inductus eſt in ho ſpitium. Admirans autem cur homo inflaret in man9 ori admotas, rogauit cur ita faceret, is reſpõdit, vt frigidas ma nus halitus tepore calfaceret. Deinde vbi extructo foco ap poſita menſa in pultem feruidam rurſum inflaret, magis etiam admirans ſciſcitatus eſt, quid hoc ſibi vellet, vti pul tem, inquit ille, nimium feruentem halitu refrigerem. Tum ſatyrus ſurgens a menſa, quid ego audio inquit, tun eodẽ ex ore pariter & calidum & frigidum efflas? Valebis, neꝗ enim mihi ratio eſt cum eiuſmodi homine commune ha bere hoſpitium.

Morale.

Notant̃ bilingues, qui eundẽ modo laudant, mõ vitupant.

Is qui emendandis iis fabulis præfectus fuit ſequentes apologos ex variis & his optimis autoribus collegit, vt a pueris quoq; legerẽ/tur, quibus nunq̃ eſt bene inſtructa atq; copioſa bibliotheca.

Ex ſecundo Noctium Atticarum Gelii, Apologus Aeſopi Phrygis memoratu non inutilis.

Aeſopus ille e Phrygia fabulator, haud immerito ſapiens æſtimatus eſt, cum quæ vtilia monitu ſuaſuq; erant, nõ ſe uere, non imperioſe p̃cepit & cenſuit, vt philoſophis mos eſt, ſed feſtiuos delectabileſq; apologos commentus, res ſalubriter ac proſpicienter animaduerſas, in mentes ani/moſq; hominum, cum audiendi quadam illecebra induit, velut hæc ei⁹ fabula de auiculæ nidulo lepide atq; iucũde præmonet, ſpem fiduciamq; rerum, quas efficere quis poſ ſit, haud vnq̃ in alios, ſed in ſemetipſo habendam. Auicula (inquit) eſt parua, nomen eſt caſſita, habitat nidulaturq; in ſegetibus, id ferme temporis vt appetat meſſes pullis iam/iam plumantibus. Ea caſſita in ſementes quoq; forte con/ceſſerat tempeſtiuiores, propterea frumentis flaueſcentib⁹, pulli etiam tunc inuolucres erant. Quum igitur ipſa iret ci bum pullis quæſitum, monet eos, vt ſi quid ibi nouæ rei fieret diceretur ve, animaduerterent, idq; ſibi, vbi rediſſet,

renunciarent. Dominus postea segetum illarum, filium adulescentem vocat, & vides ne, inquit, hæc ematuruisse, & manus iã postulare? Idcirco die crastino, vbi prĩm dilucu labit, fac amicos adeas, & roges veniant, operamq; mutuam dent, & messem hãc nobis adiuuẽt. Hæc vbi ille dixit discessit, atq; vbi redit cassita, pulli trepiduli circunstrepere, orareq; matrem vt statim iam properet, atq; alium ĩ locum sese asportet, nam dominus, inquiunt, misit qui amicos rogaret, vti luce oriẽte veniant & metant. Mater iubet eos a metu ociosos esse. Si enim dominus, inquit, messem ad amicos reiicit, crastino seges non metet̃, neq; necesse est hodie vti vos auferã. Die igitur postero, mater in pabulũ volat, domin9 quos rogauerat operitur, sol feruet & fit nihil, & amici nulli erant. Tum ille rursum ad filium, amici isti (inquit) magnam in partem cessatores sunt, quin poti9 imus, & cognatos affinesq; nostros oramus, vt adsint cras tempori ad metendum. Itidem hoc pulli pauefacti matri nunciant. Mater hortatur, vt tum quoq; sine metu ac sine cura sint, cognatos affinesq; nullos ferme tam obsequibiles ait, vt ad laborem capescendum nihil contentur, & statim dicto obediãt. Vos modo (inquit) aduertite, si modo quid denuo dicetur. Alia luce orta, auis in pastum profe

cta est, cognati & affines operam, quã dare rogati sunt, su-
persederunt. Ad postremum igitur dominus filio, valeant
(inquit) amici cum propinquis. Afferes prima luce falces
duas, vnam egomet mihi, & tu capies alteram, & frumẽtũ
nosmetipsi manibus nostris cras metemus. Id vbi ex pul-
lis dixisse dominum mater audiuit, tempus (inquit) est ce
dendi & abeũdi, fiet nunc proculdubio, quod futurum di-
xit. In ipso enim iam vertitur cuia est res, nõ in alio vnde
petitur, atq; ita cassita nidum migrauit, & seges a domino
demessa est. Hæc quidem & est Aesopi fabula de amico
rum & propinquorum leui plærunq; & inani fiducia. Sed
quid aliud sanctiores libri philosophorum monent? q̃ vt
in nobis tantum ipsis nitamur, alia autem omnia quæ ex-
tra nos, extraq; nostrum animum sũt, neq; pro nostris, ne
que pro nobis ducamus. Hunc Aesopi apologum. Q. Enni
us in satyris scite admodum & venuste versibus quadratis
cõposuit, quorũ duo postremi isti sũt, quos habere cordi &
memoriæ opæpreciũ esse hercle puto. Hoc erit tibi argu-
mentũ semper in promptu situm. Ne quid expectes ami-
cos, quod tu per te agere possis.

Fabula ex Lamia Politiani desumpta.

Aues olim prope viuersæ noctuã adierũt, rogarũtq; eã, ne
posthac in ædiũ cauis nidificaret, sed ĩ arborũ potiꝰ ramis,

atq; inter frondes, ibi enim vernari suauius. Quin eidem quercum modo enatam, pusillam, tenellamq; adhuc osten debant, in qua scilicet molliter (vt aiebãt) & sidere ipsa ali quando noctua, & suum sibi construere nidum posset. At illa facturam se negauit. Quin inuicem cõsilium dedit iis, ne arbusculæ illi se crederent, laturam enim aliquãdo esse viscum, pestem videlicet auium. Cõtempsere illæ (vt sunt leue genus & volaticum) sapientis vnius noctuæ consiliũ. Iam quercus adoleuerat, iam patula, iam frondosa erat, ec ce ibi aues illæ omnes gregatim ramis inuolitant, lasciui unt, subsultant, colludunt, cantillant. Interea quercus ea vi scum protulerat; atq; id homines animaduerterant; impli citæ ergo repente ibi omnes pariter misellæ; ac frustra eas sera pœnitentia subiit, quod salubre illud consilium spre uissent. Atq; hoc esse aiunt, cur nunc aues omneis, vbiubi noctuam viderint, frequentes eã quasi salutant, deducunt, sectantur, circunsidunt, circunuolitant. Etenim consilii il lius memores, admirantur eam nunc vt sapientem, stipant que densa caterua, vt videlicet ab ea sapere aliquando di scant. Sed opinor frustra, imo vero etiam interdum cum magno ipsarum malo. Nam veteres illę noctuæ reuera sa pientes erant, nunc multæ noctuæ sunt quæ noctuarũ qui

dem plumas habent,& oculos,& rostrum. sapientiam ve-
ro non habent.

Apologus ex secundo libro Petri Criniti De
honesta disciplina desumptus.

Sata est olim cucurbita iuxta arborem pinum,quæ gran-
dis admodũ,& ramis patulis extabat. Cucurbita vero cũ
multis pluuiis atq; cœli temperamento creuisset, lasciuire
incipit,& ramulos audacius porrigere,iam serpebat in pi-
num, iam surgere, iam ramos & frondes inuoluere aude-
bat,ampliora folia,candenteis flores, prægrãdia poma &
virescentia ostentans.Itaq; tanto fastu atq; insolentia intu-
muit,vt pinum arborem ausa sit aggredi.Et vides,inquit,
vt te supero,vt amplis foliis, vt virore præsto,& iamiam
ad cacumen prosurgo. Tum pinus,quæ senili prudentia
& robore pollebat, nihil mirata est cucurbitæ insolẽtis au
daciam,sed ita ad eam respondit. Ego hic multas hyemes,
calores,æst9,variasq; calamitates peruici, & adhuc integra
consisto. Tu ad primos rigores minus audaciæ habebis,
cum & folia concident,& viror omnis aberit.

Fabella de coruo & lupis,ex Ioanne Antonio
Campano desumpta.

Coruus lupos per ardua mõtium iuga comitatur,partem

sibi prædæ fieri postulat, qui eos secut⁹ nullo tempore de/stituisset sociusq; fuisset, repulsus deĩde a lupis tanq̃ nõ eos sed prædam cibumq; secutus, nec minus luporum si occi/derentur, q̃ cæterorum animalium exta fuisset voraturus.

Morale. Non quid agamus semper inspiciẽdum est, sed quo sumus animo cum agimus.

Altera, de partu terræ ex eodem.

Turgida olim facta tellus & mirũ in modum tumida, ma gnum aliquod paritura videbatur. Accurrunt finitimi, stu pent agricolæ, terræ partũ inter spem metumq; expectãt, alii Tipheum illum centimanum, alii montes erupturam putabant. Aperitur terra, prodiit mus, & quod miraculo fore omnibus arbitrabantur, in risum atq; iocum conuer/terunt.

pologus de membris & ventre ex Plinio desumptus.

Humani artus cum ventrem ociosum viderent, ab eo dis/cordarunt, & suum illi ministerium negauerunt, quum eo pacto & ipsi quoq; deficerent, intellexerũt ventrem cibos acceptos per omnia membra diuidere, & cum eo in gratiã redierunt.

Morale.

Magnæ res discordia pereunt, concordia valent.

Laurentius Valla insigni viro Arnoldo Fouellede S.

PRomiseram nuper me tibi coturnices,quas ipse venatus essem,missurum. Eas capere(vt homo insuetus venandi)cùm non possem,ad venationem meam,id est ad literas me conuerti. Et forte ad man9 venit libellus græcus ex præda nauali,tres & triginta Aesopi fabulas continens,has oẽs bidui labore venatus sum. Mitto igitur ad te siue fabellas siue mauis coturnices,quibus oblectare te possis ac ludere. Etenim si Octauianum, Marcumq; Antonium orbis terrarum principes ludo coturnicum delectatos accepimus.Profecto tu literarum vir amantissimus literato hoc genere ludendi delectaberis. Et si quis Octauiano aut Antonio pugnacem aliquam harũ auium dono dedisset, iucũdam illis rem gratamq; fecisset. Ego quoq; tibi iucundus gratusq; ero, qui plures triginta eius generis aues dono mitto pugnaces,victrices,& si magis hoc te forte iuuat,etiam pingues. Oblectant enim hæ fabellæ & alunt,nec minus fructus habent q̃ floris. Sed ne donum suum laudare insolentis sit finem faciam. Tu si coturnices veras q̃ has fabulas mauis rescribe.Mittam nanq; non modo coturnices,sed etiam perdices. Vale ex vrbe Caieta, calendis Maiis M. CCCC. xxxviii.

De vulpe & capro.

Vulpes & caper sitibundi in puteum quendam descenderunt,in quo cum perbibissent,circunspicienti reditum capro vulpes ait.Bono animo esto caper,excogitaui nanque quo pacto vtri que reduces simus.Siquidem tu eriges te rectum primoribus pedibus ad parietem admotis,cornuaque adducto ad pectus mento reclinabis.

Et ego per terga cornuaq; tua trãſſiliens, & extra puteum euadens, te iſtinc poſtea educam. Cuius conſilio fidem ha/benti capro, atq; vt illa dicebat obtemperanti, ipſa a puteo proſiliit, ac deĩde præ gaudio in margine putei geſtiebat, exultabatq;, nihil de hirco curæ habens. Cæterum cum ab hirco vt fidifraga incuſaret̃, reſpondit. Enĩuero hirce ſi tan tum tibi eſſet ſenſus in mente, quantum ſetarum in mẽto, non prius in puteũ deſcendiſſes, q̃ de reditu exploratum habuiſſes. Hæc fabula innuit, virum prudentem debe re finem explorare, anteq̃ ad rem agendam veniat.

De vulpe & pardo.

Vulpes & pardus de pulchritudine altercabantur, & par/do ſuã verſicolorẽ pellẽ extollente, vulpes ſuã cũ nõ poſ/ſet præponere, inquit. At quanto ego ſpecioſior, quæ non corpus, ſed animum verſicolorem ſortita ſum. Hæc fabula innuit, pulchritudinem animi antecellere pulchri/tudinem corporis.

De cata & venere.

Cata quædam delicium erat cuiuſdam formoſi adoleſcẽ tis. hanc ille, vt in fœminam mutaret, Venerem comprec a tus eſt, dea miſerta cupiditati adoleſcentuli conuertit beſti am in ſpecioſam puellam, cuius forma inardeſcens adole/

ſcentulus, adducit illam ſecum domum. Quibus conſiden tibus in cubiculo, venus volens periculum facere, nunquid illa cum corpore mutaſſet & mores, murem in medium di miſit, at illa eorum qui aderãt, & cubiculi nuptialis imme mor, e cubili conſurgens murem inſequebatur, illum co- medere cupiens. Tunc dea indignata iterum in ſuam reſti- tuit naturam. Hæc fabula innuit ſceleſtos hoĩes, etiã ſi ſtatum conditionemq; mutent, tñ mores nequaq̃ mutare.

De agricola & filis eius.

Agricola filios duos videns quotidie gladiantes, neque in gratiam reducere potis eſſet, iuſſit faſciculum virgarum ſi bi afferri, aderãt autem filii illic ſedentes, quæ cum allatæ eſſent, colligauit omnes in vnum faſciculum, iuſſitq; ſingu los eorum faſciculum capere atq; confrĩgere. Illis vero cõ- fringere non valentibus, ſoluens poſtea faſciculum, tradi- dit ſingulas virgas eis frangendas. Atq; illis ſtatim facileq; frangẽtibus intulit. Ita qdẽ & vos o filioli mei, ſi vnanimes inuicem perſtiteritis, inexpugnabiles vos hoſtibus, inui- ctoſq; præbebitis. Sin minus, veſtra ipſa æmulatio atq; ſe ditio oportunam vos prædam inimicis faciet. Hæc fabula innuit, æque res humanas capere, vel a concordia ĩ- crementũ, vel a diſcordia iacturam.

De muliere & gallina.

Mulier quædam vidua habebat gallinã, quotidie ſingula
oua ponẽtem, ſperans autem mulier pro ſingulis bina oũa
poſituram, ſi plus tribuiſſet eſcarũ, opipare educabat, galli
na vero pinguior effecta ne vnum quidem ouum ampliꝰ
facere poterat. Hæc fabula innuit, quod homines per lu
xum rerum & copiam marceſcentes, ab inſtituta induſtria
retardantur.

De duobus adoleſcentibus.

Duo adoleſcentes obſonium a coquo communiter merca
ti ſunt, cæterum cum coquus quibuſdam negotiis dome-
ſticis intenderet vacaretq;, alter adoleſcentum partem ob-
ſonii in alterius manus immiſit. Conuertente autem ſe co
quo, & partem carnis quæ aberat requirente, qui carnem
ſuſtulerat, iurabat ſe nõ habere, qui vero habebat ſe nõ ſu-
ſtuliſſe. Quibus coquus, intellecta adoleſcentum argutia,
inquit. Et ſi me latet fur, tamen eum quem iuraſtis non la
tebit. Hæc fabula innuit, quod ſi quid homines celamꝰ,
deũ tamen nequaq̃ celare poterimus, qui ſolus omnia per
ſpicit & omnia videt.

De duobus amicis & vrſo.

Duobus amicis vna iter facientibus fit vrſus obuiã, quorũ
vnꝰ perterritus in arborem ſcandens latuit, alter vero cum
ſe imparem vrſo fore, & ſi pugnare vellet ſuperatum iri in

telligeret,procidens mortuum se simulabat esse. Vrsus vero aduenniens aures & occiput eius olfaciebat,illo qui stratus iacebat vsquequaq; continente respirationem.Ita mortuum esse credens vrsus abiit.Aiunt enim non seuire in cadauer. Mox alter qui inter frondes arboris latuerat descēdens interrogat amicũ, quidnam ad aurem vrsus esset secum locutus. Cui amicus inquit. Admonuit me ne post hac cum huiusmodi amicis iter facerem. Hæc fabula innuit,deuitãdos esse amicos, qui periculoso in tempore ab auxilio præstando reuocant pedem.

De arundine & olea.

Disceptabant aliqñ arũdo & olea de constãtia & fortitudine & firmitate,& olea probra arundini ingerebat, vt fragili & ad oẽm ventũ vacillanti, arũdo aũt obticebat nõ longũ tempus spectans.Nã cũ vehemens ventꝰingruisset arũdo inflectebatur agitabaturq;, olea vero cũ violentiæ ventoꝶ reluctari vellet,cõfracta est. Hæc fabula innuit,eos qui fortioribꝰad tempus cedunt,potiores esse his qui nõ cedunt.

De tubicine.

Erat tubicen quidam,qui in militia signum caneret, is intẽceptus ab hostibus, ad eos qui circunstabãt proclamabat. Nolite me viri innocẽtem innocuum insonteq; perimere.

Nullum enim vnq̃ occidi, quippe nihil aliud q̃ hanc buccel nam habeo. Ad quem illi vicissim cum clamore responde runt, tu vero hoc ipso magis trucidaberis, quod cum ipse dimicare nequeas, cæteros potes ad certamen impellere.

Fabula hæc innuit, qđ præter cæteros peccant, qui ma los & importunos principes ꝑsuadent ad inique agẽdum.

De cane & lanio.

Canis quidam insiliit in macellum, lanio in aliqua re occu pato, & arrepto pecoris corde fugiebat. Ad quem lani9 cõ-uersus fugientemq́ꝫ aspiciens inquit. O canis abi vbicunq́ꝫ fueris te obseruabo. Non.n.mihi cor sustulisti, sed cor de-disti. Hæc fabula innuit, iacturam frequenter esse ho minibus doctrinam.

De egroto & medico.

Egrotus quidam a medico interrogat9, quo nam modo se habuisset, præter modum respondit in sudorem se fuisse resolutũ. Cui medic9, istud inquit bonum est. Altero autẽ die interrogatus, quomodo se haberet, respondit, algorib9 correptus diu vexatus sum. Et istud inquit medicus bonũ est. Tertio cum eodem modo interrogaretut, respondit, ꝓ fluuio corporis debilitatus sum. Istud inquit etiam bon ũ est. Postea autem a familiari interrogat9, quomodo habes

o amice, respondit. Ego etiã atq; etiam bene habeo, sed morior. Hæc fabula innuit coarguendos esse assentatores.

De equo & lupo.

Equus calcato ligni aculeo claudicabat, conspectoq; lupo ait. O lupe en præ cruciatu morior futur9 esca aut tua aut vulturum, aut coruorum, vnum modo abs te flagito, educ prius ex pede aculeũ, vt moriar saltem sine cruciatu. Tunc lupus summis dentib9 aculeum mordicus cõprehendens, eduxit, equus vero doloris oblit9 ferratos calces in faciem lupi impegit, fractisq; illius fronte, naribus, & dentibus aufugit, lupo seipsum accusante ac merito sibi id euenisse dicente, quod hic qui didicerat esse lanius iumentorum, volebat esse chirurgicus. Hæc fabula innuit, quod qui sua artificia deserunt, transferentes se ad aliena ipsis non apta in derisum veniunt & in discrimen.

De pastore & mari.

Pastor in loco maritimo gregem pascebat, qui cum videret mare tranquillum incessit cupido nauigationem faciẽdi. Itaq; venundatis ouibus, emptisq; palmarum sarcinis nauigabat. Orta autẽ vehementi tempestate, & naui mergi periclitante, omne pondus nauis eiecit, vixq; euasit exonerata naui. Paucis post diebus veniente quodam & trãquil

litatem maris admirante (erat enim sane tranquillum) re-
spondens inquit. Palmas iterum vult quantum intelligo, ideoq; sese immotum ostendit. Hæc fabula innuit eru-
ditiores effici homines damno & periculo.

De vulpe & leone.

Vulpes nullum antea leonem cõspicata, cum illi aliquãdo ex improuiso obuiasset, ita conspectũ eius expauit, vt pa-
rum abfuerit quin extingueretur. Quod cum postea iterũ accidisset, ad conspectum quidem leonis exterrita est, sed non ita vt prius. Tertio cum leonem eundem vidisset in ci
uitate, non modo non exterrita, sed confidenter adiens se-
cum collocuta est & confabulata. Hæc fabula innuit, q consuetudo & conuersatio facit, vt quæ maxime horribi-
lia, & formidolosa sunt, neq; horrenda neq; formidolosa videantur.

De gallis & perdice.

Gallos quidam domi suæ cum haberet, mercatus est per-
dicem, eamq; in societate gallorum dedit vna cum illis sa-
ginandam. Eam vero statim galli pro se quisq; mordebant abigebantq;. Perdix aũt apud se afflictabat͂, æstimans ideo talia sibi inferri a gallis, q suum ab illorum genere alienũ esset. Vbi vero non multo post aspexit & illos inter se pu

gnantes mutuoq; percutientes, recreata a mœrore inquit. Equidem post hac ego non afflictabor amplius, videns eos etiam inter se dimicantes. Hæc fabula innuit, prudētem debere æquo animo ferre contumelias ab alienigenis illatas, quos videt ne domesticorū quidem iniuria abstinere.

De vulpe & capite
quodam.

Vulpes aliquando in domum citharedi ingressa, dum omnia instrumenta musica omnemq; supellectilem scrutaretur, repperit in marmore caput lupinum scienter fabreque factum, quod cum in manus sumpsisset inquit. O caput cū magno sensu factum nullum sensum obtinens. Hæc fabula ad eos spectat, qui corporis dignitaten habent, animi autem industriam non habent.

De carbonario & fullone.

Carbonarius conducta in domo habitans, inuitauit fullonem, qui eo loci proxime venisset, vt eisdem in ædibus vna habitarent. Ad quem fullo. O homo non est mihi istud factu conducibile, vereor enim ne quicquid ipse candefacerem, id omne tu carbonaria aspergine fuscares. Hæc fabula innuit, nullum cum flagitioso esse commercium.

De homine glorioso.

Vir quidam aliquãdiu peregrinatus cum iterum domum rediisset, tum multa ardua in diuersis regionibus a se viriliter gesta iactabũdus prædicabat, tum vero illud maxime, quod Rhodi homines saliendi certamine superasset, eiusque rei Rhodios qui affuerunt testes esse. Ad quem vnus assistentium respondens inquit. O homo si verum est qđ dicis, quid tibi opus est testibus. Ecce Rhodus, ecce hic certamen saliẽdi. Hæc fabula innuit, quod vbi rerum testimonia adsunt, nihil opus est verbis.

De homine & Apolline.

Quidam facinorosus Delphos se contulit Apollinem tentaturus, habensq; passerculum sub pallio quem pugno tenebat. Et accedens ad tripodas interrogabat deum dicens. Quod habeo in dextra viuit ne an mortuum est? prolaturus passerculum viuum si mortuum respondisset, rursus prolaturus mortuũ si viuum respondisset, occidisset enim statim sub pallio priusq̃ proferret. At deus subdolam calliditatem hominis intelligens dixit. O consultor, vtrũ mauis facere (penes te nanq; arbitrium est) facito, siue viuum siue mortuum, quod in manu habes, proferto. Hæc fabula innuit, mentem diuinam nihil neq; latere neq; fallere.

De piscatore & cinaride.

Piſcator quidam demiſſis in mare rhetibus detulit cinari/
dem puſilli corporis, qui piſcatorē ſic obſecrabat. Noli me
in præſentiarum capere puſillam & minutam, ſine abire
& creſcere, vt poſtea iam adulta cōmodo cum maiore po-
tiaris. Cui piſcator. Ego vero amens ſum ſi lucrum quod
inter manus habeo, licet exiguum prætermittam, ſpe futu
ri boni quantumlibet magni. Hæc fabula innuit, ſtoli-
dum eſſe, qui propter ſpem maioris rem præſentem & cer
tam, licet paruam, non amplectitur.

De equo & aſino.

Vir quidam habebat equum & aſinū, in itinere autem fa-
ciendo inquit aſinus equo. Si me ſaluum vis, leua me par-
te oneris mei. Equo illius verbis non obſequente, aſinꝰ ſub
onere cadens moritur. Tunc dominꝰ iumentorum omnes
quas portabat aſinus ſarcinas, ſimulqꝫ coriū quod a mor-
tuo exuerat, equo imponit, quo onere depreſſus equus &
gemens cum clamore inquit, Ve mihi iumentorum infeli
ciſſimo, quid mihi miſero euenit? nā recuſans partē, nunc
totum onus porto, & illius corium. Hæc fabula innuit,
maiores debere in laboribus participes eſſe minoribus, vt
vtriqꝫ incolumes ſint.

De homine & ſatyro.

Vir quidam cum satyro amicitiam inierat, qui cum edendi gratia sederent, exorta cœli tempestate, vir manus ad os admouēs anhelitu refocillabat, quod intuens satyrus interrogabat quam ob rem id faceret. Ille inquit, calore oris algentes manus refocillo. Pauloq; post calidiore edulio allato, cum vir iterum ad os manum admouens, calorem sibi tenui inspiratione refrigerabat. Interrogat satyrus quam ob rem & id faciat, respōdente autem viro, vt refrigeraret edulium. Atq; ego inquit satyrus tecum post hac amiciciam non exercebo, qui ex vno ore & calidum promis & frigidum. Vale. Fabula hæc innuit deuitandam eius amicitiam esse, cuius anceps vita est, & non simplex sermo.

De agricola & canibus.

Agricola quidam hyberno sydere in agro deprehensus, deficientibus cibariis primum interfectis singulis ouibus illarum carnibus vescebatur; mox & caprarū, postremo operariis bobus interemptis alebatur. Quod canes dum animaduertissent, inter se collocuti sunt dicentes. At nos hinc faciamus fugam, si enim operariis bobus dominus non pepercit, nec nobis quidem parcet. Fabula hæc innuit, fugiendos esse cauendosque, qui a familiaribus manus non abstinent.

De quodam admorso a cane.

Admorsus a cane quidā circuibat singulos corrogans cu- rationem, nactusq; quendam est, qui cognita mali qualita te inquit. Si tu quidem o homo conualescere vis, crustam panis madefactam in sanguine vulneris porrige cani qui te momordit comedendam. Cui ille deridenter inquit. ego me hercule si istud fecero, dignus sum qui ab omnibus hu ius vrbis canibus præmordiar. Hæc fabula innuit, im- probos homines cum maxime beneficia acceperint tū ma xime ad maleficia animari.

De thunno & delphine.

Thunnus cum delphinum insequentem præcipiti cursu fugeret & iam capiendus esset, in anfractum quendam se in torsit, delphinus quoq; ad alterum similem impetu ipso allisus est. Ad quem thunnus respiciens iamq; expirantem videns inquit. Iam mihi mors non erit molesta videnti eū qui mihi causa mortis est mecum morientem.

Hæc fabula innuit, æquo animo ferre homines calamita- tes, cum eos per quos in calamitate sunt, calamitosos aspi ciunt.

De aucupe.

Auceps quidam sumptis aucupatoriis rhetibus ad venan/ dum processit, visoq; palumbo in cacumine arboris seden te, compositas artificiose arundines cum retibus ad auem clanculum admouebat, sperās illam se venari posse, quod cum agit in altum intuens iacentem viperam pedibus pres sit, quæ exasperata dolore hominem momordit. At ille iā deficiens me miserum inquit, qui cum alterū venari volo, ab altero captus pereo. Hæc fabula innuit, quod æmuli alios arte sua intendentes decipere, sæpe in laqueos quos tendunt incidunt.

De castore.

Castor præter cæteros quadrupedes ī aqua durare fertur, suaq; genitalia ad artem medicam sane vtilia esse. Hic vbi videt se ab indagantibus hominibus captum iri (nouit enī quam ob rem indagetur) ipse sibi genitalia præcidit atq; in sequentes proiiciens hoc modo incolumis euadit. Fa bula hæc innuit, huius exemplo prudentes debere pro adi piscenda salute, nullam rationem habere fortunarum.

De vaticinatore.

Vaticinator quidam in foro sedens sermocinabatur, cum sibi quidam denunciat, fores domus eius effractas esse, om niaq; direpta quæ in domo fuissent. Ad quem nuncium

gemens vaticinator, properansq; cursu se domum recipie/
bat, quem currentem quidam intuens. O tu inquit qui ali
ena negotia te diuinaturum promittis, certe tua ipse non di/
uinasti. Fabula hæc ad eos spectat, qui res suas rite non
administrantes alienis, quæ nil ad eos pertinent, prouide/
re ac consulere conantur.

De aucupe & merula.

Auceps tetenderat volucribus retia, quod eminus intuens
merula, percontabatur hoīem quid negotii ageret. Ille re/
spōdit se cōdere vrbe, abiitq; longi9 & sese abdidit. Merula
vero verbis illius fidē habens accedens ad escā iuxta retia
positā capta est, accurrēteq; aucupe inqt. O hō si tu quidē
talem vrbē condis, haud multos inuenies incolas. Fabu
la hæc innuit, eo maxīe modo rē priuatā & publicam de/
strui, cum præsides seuiciam exercent.

De viatore & Ioue.

Viator longū egressurus iter, si qd inuenisset ei9 dimidiū
Ioui se oblaturum pmisit. Inuento aūt in ipso itinere vase pal
marū & amigdalorum pleno, comedit oēs palmulas amigda
lasq;, sed harum nucleos, illorū putamina ad arā quandā obtu
lit inquiens. Habes Iupiter qd tibi vouerā, qd enī inueni
eius & interiora & exteriora tibi offero. Hæc fabula in/

nuit auarum hoiem pecuniæ cupiditate etiam diis molliri fallacias.

De filio & matre.

Puer quidam in schola codiscipuli furat9 tabellã alphabetariã attulit matri suæ. A qua nõ castigatus cotidie magis furabat. Procedente aũt tempore cœpit furari maiora. Tãdem a magistratu deprehensus ducebatur ad supplicium, matre vero sequẽte ac vociferãte, rogauit satellites, vt paulisper cũ ea ad aurẽ loqui pmitterent, qbus annuẽtibus, & matre festinabũda aurẽ ad os filii admouente, ille auriculã maternã dentibus amorsam euulsit. Et cũ mater cæteriqȝ increparent nõ modo vt furẽ, sed etiã in parentem suã impiũ, inquit. Hæc mihi vt perderer extitit causa, si me ob tabulã alphabetariã castigasset, nequaq̃ ad vlteriora pgress9 nunc ad suppliciũ ducerer. Fabula hæc innuit q qui inter initia peccãdi nõ coercent ad grauiora flagitia euadũt.

De patre & filio.

Filium senior q̃dam habebat generosi animi & venaticorũ canũ amatorẽ, hunc p quietem viderat a leone trucidari. Territus igitur (ne forte somniũ hoc aliquo modo sequeretur euentus) exstruxit domũ quãdam politissimã, laqueatibus atqȝ fenestris amœnissimã, illucqȝ inducens filiũ illi custos inhærebat. Depinxerat aũt in ea domo ad oblecta-

donē filii omne aīalium genus, in quibus & leonē. Adole-
scens hæc inspiciens eo amplius molestiæ cōtrahebat. qua-
dam aūt vice ꝓpius stans leoni inquit. O truculētissima fe-
ra, te propter, & ꝓpter inane somniū patris, in hac domo
asseruor velut in carcere, quid igitur tibi faciā? Et hæc di-
cens manū parieti incussit oculū leoni eruere volens, & in
clauo qui illic latebat offendit, qua ex percussione manus
emarcuit, succreuitq; sanies, & febris subsecuta est, breui a-
dolescens mortuus est. Ita leo adolescentem occidit, nihil
adiuuante patris sophismate. Hæc fabula innuit, quæ
futura sunt neminem deuitare posse.

De quodam caluo.

Caluus quidam mentitos crines gerens dum equo veheba-
tur, ecce turbinis vent⁹ illos de capite sustulit. Risus statim
magni a præsentibus excitantur, & ille mutuo risu ad eos
inquit. Quid mirum, si crines qui non erant mei a me re-
cesserint? illi quoq; recesserunt qui mecum fuerant nati.
Hæc fabula innuit, nō debere nos merere ob amissas opes.
Quod enim nascentes a natura non accepimus, nō potest
nobiscum perpetuo permanere.

Finis Aesopi fabularum Laurentio
Valla interprete.

M. Iacobo Neruio Iurisperito, bonarum etiam literarum perstudioso viro Barlandus S.

Ex fabulis meis quas olim iuuenili quodam ardore in publicum emiseram, paucas quæ iam adulto mihi nõ omnino displicẽt permisi vt chalcographus noster cũ Goudanianis illis lõge tersissimis fabellis iterũ imprimeret. Has ad te mitto Iacobe humanissime, ceu Mnemosynũ tui Barlandi, de quo id habeto ex omnibus quos ad hunc diem tibi obnoxios effecisti, magis gratum erga te futurum esse neminem. Vale, & ignosce breuitati, ad quam nos adigit negotiorum magnitudo. Louanii.

Fabulæ aliquot Aesopi Barlando interprete.

De cane & lanio.

Canis in macello quũ lanio carnem sustulisset, in pedes se se continuo quantum potuit coniecit. Lanius iactura rei perculsus, primum tacuit, deinde animũ recipiens sic ꝓcul acclamat. O furacissime curre tutus, impune tibi licet, tutꝰ enim es ob velocitatem, at ego posthac nõ committam, vt iterum tibi præda sim. Morale. Hæc fabula significat plerosq; oẽs tum demũ fieri cautiores vbi damnũ acceperint.

De cane & oue.

Canis ouem in ius vocat, panem ex mutuo debere clamitans, illa it inficias, miluus, lupus, vultur, accersunt̃ testes, rem affirmãt, damnat̃ ouis, damnatã canis rapit ac laniat. Morale. Falsis testimoniis opprimi q̃plurimos cũ ne

nemo nescit, tum hæc q̄ optime docet fabula.

De agno & lupo.

Agno comitanti caprum lupus fit obuiam, rogitat cur re/ licta matre, olidum potius sequatur hircũ, suadet vt ad di stenta lacte matris vbera redeat, sperãs ita fore, abductum vt laniet. At ille, mater me o lupe inquit huic cõmisit, huic mei summa cura seruãdi data est, parenti poti⁹ q̄ tibi obse quendum, qui me seducere istis dictis postulas, seductum mox decerpere. Morale. Noli quibusuis fidem ha bere. Multi.n. dum aliis videnť velle prodesse, sibi interim consulunt.

De rustico & equo.

Rusticus equum vacuum asinũq; sarcinulis egregie onu stum producit in viam. Defessus asinus equum sibi onera vt adiutet orat si saluum velit, negat facturũ equus. Asell⁹ tandem sarcinæ põdere grauatus ꝓcumbit, moriť. Herus omne on⁹, mortui quoq; aselli coriũ in equi dorsum recli nat, q̄bus cum ille deprimeretur, me miserũ inquit, merito meo sic nunc exerceor, qui dudum laboranti asino opitu lari nolui. Morale. Monemur hac fabella, vt op pressis subueniamus amicis.

De carbonario & fullone.

Fullonem inuitabat carbonarius, vt secũ in vnis ædib⁹ ha

bitaret. Fullo nõ est inquit mi homo istuc mihi vel cordi, vel vtile, vereor.n.magnopere, ne quæ ego eluã, tu reddas tam atra q̃ carbo est. Morale. Monemur hoc apologo cum inculpatis ambulare. Monemur sceleratorum hoĩm consortia veluti pestem quandam deuitare.

De aucupe & palumbo.

It venatum auceps, videt nidulantem procul in altissima arbore palumbũ, adpropiat, dumq; insidias struit, premit forte calcibus anguẽ. Hic mordere, ille improuiso exaĩat⁹ malo, me miserũ inquit, dum alteri insidior ipse disperio. Morale. Significat hæc fabula nõnunq̃ eos suis artib⁹ circunueniri qui res nouas moliuntur.

De agricola & canibus.

Agricola cum ruri cœpisset necessariarum rerum penuria laborare, interfecit oues, mox & capellas, postremo boues quoq; mactat, vt habeat quo inedia pene exhaustũ corpusculum sustentet, id videntes canes salutem fuga quærere constituũt, se.n.nõ victuros diutius, qñ ne bob⁹ qdẽ, quoq; in opere rustico faciũdo vtebãt ꝯperape, percerit herus. Morale. In quã domũ mercedis gratia te tradas vide. Nonnulli humanissimi sũt heri, multi etiam hodie eo dementiæ ꝓlabunt, vt seruos infortunio malo & damno li-

benē mactent. De pauone & luſcinia.

Pauo apud ſummi Iouis ſororem & coniugem Iuno-nem queritur luſciniam ſuaue cantillare, ſe ob raucitatem ab omnibus irrideri. Cui Iuno, dos ſua a diis cuiq;. Te luſcinia cantu, plumis tu luſciniā ſuperas. Vnūquemq; ſua decet ſorte contentū eſſe. Morale. Quæ diui largiuntur grato ſumamus animo, neq; maiora quæſierim⁹.

Apologus ex Mantuano traductus.

Ruſticus quidā ex malo, quā in proximo habebat agello, ſapidiſſima quotannis poma legebat, hero lecta donabat vrbano, q inuitat⁹ pomorū dulcedine, malum tādem ad ſe tranſtulit, ea veterrima repente exaruit, atq; ibi poma pariter & malus periere. Quod cū patrifamilias nūciaretē, heu difficile eſt inqt annoſam tranſplantare arborē, ſatis ſuēq; fuerat (ſi frenos meæ nouiſſem impōere cupiditati) fruct⁹ ramo decerpere. Hanc fabellā ſic Mantuan⁹. Ruſtic⁹ ex malo dulciſſima poma legebat, Vnde dare vrbano dona ſolebat hero. Aſt her⁹ illectus frugū dulcedine, malum Trāſtulit in larib⁹ pxima rura ſuis. At quia mal⁹ erat ſenior, tranſlata repente Aruit, & proles cū genitrice obiit. Heu male tranſfferē ſenio cū induruit arbor Inquit herus, fuerat carpere poma ſatis. Morale eiuſdem. Qui nimiū ſapiunt

atq; incōcessa sequunt̃ Desipiūt, cohibet q̃ sua vota sapit.

De auibus.

Gens auium cū̃ libere vagaret̃, optabat sibi dari regē̃. Pauo se in primis dignū̃ q eligeret̃ putabat, quia esset formosissimus. Hoc itaq; in regem accepto, pica o rex inquit, si te imperante aquila nos præstrennue, vt solet, insequi cœperit, quo illā modo abiges? quo nos pacto seruabis? Morale. In principe nō tā forma, q̃ corporis fortitudo spectāda est & rerum vsus.

De asino & equo.

Asinus beatum putabat equum quod pinguis, esset & in ocio degeret, se vero infelicem dicebat quod macilentus esset ac strigosus, cotidieq; ferendis oneribus ab inmiti hero exerceretur. Haud multo post ad arma conclamatum est. Tum equus non equitem dorso, non frenum reppulit ore, nec telum corpore. Hoc viso asinus magnas diis gratias agebat, quod non equum se, sed asinum fecissent.

Morale.

Miseri sunt quos vulgus beatos iudicat, & non pauci beati, qui se miseros putant. Sutor crepidarius regem in purpura dicit felicem, non considerans in quātas is sollicitudines distrahat̃, dum interim ipse optīa cū̃ pauptate cātillet

De leone & capra.

A edita rupe ambulantem caprā forte conspicatus leo, monet vt potius in viride pratū descendat. Capra facerem fortassis inqt, si tu abesses, q mihi non istuc suades vt ego inde vllam capiam voluptatem, sed vt tu habeas quod vores famelicus. Morale. Omnibus ne habeas fidem, quidam enim non tibi, sed sibi consulunt.

Antonius Codrus Vrceus in
sermone nono.

Autor ergo earum fabularum quæ iocosæ sunt, & præceptorum, & doctrinæ plenæ, fuit Aesopus natione Phryx, fortuna seruus, animo liber, & non tantū seruus, sed oīm hoīm turpissimus, ita vt Thersitæ Homerico compararetur. Erat enim simus, labeo, niger, vnde & Aesopus dictus est, id est æthiops. Item ventrosus, gibbosus, & (quod pei9 erat) βραδύγλωσσος, id est lingua tardus, ita vt articulata verba proferre non posset. Verum cum ipse Aesopus domini agrum foderet, Danæ sacerdos & alii quidam viri errātes ad eum peruenerunt, rogantes quæ via ad vrbem duceret. Aesop9 eis primum cœnam sub arbore parauit, postea dux viæ factus est. quare dormienti Aesopo lingua soluta est, & sapientia diuinitus data. Seruiuit autē seruitutem

multis dominis, tandem a Xantho philoſopho poſt pluri ma in illum beneficia libertati traditus, vniuerſa orbis terræ loca peragrauit. Cum perueniſſet in Delphos, Delphi cognoſcentes Aeſopum ſeipſis prudentiorem, inuidia moti eum ſacrilegii accuſauerunt, & cum nihil profuiſſent defenſiones, a Delphis præcipitatꝰ vitam finiuit. Delphi poſtea peſte laborantes acceperunt oraculum, placandos eſſe manes Aeſopi. Illi columnam Aeſopo erexerunt, ſed principes Græciæ intelligentes quæ in Aeſopum a Delphis facta fuerant, mortis Aeſopi grauiſſimi vltores extiterunt. Plurima de eius vita apud Græcos ſcriptores legũtur, ſed breuitatis gratia hæc a nobis delibata ſunt.

Hermogenes in præexercitamentis rhetoricæ interprete Priſciano.

Fabula eſt oratio ficta veriſimili diſpoſitione, imaginem exhibens veritatis. Ideo autem hanc primam tradere pueris ſolent oratores, quia animos eorũ adhuc molles ad meliores facile vias inſtituunt rite. Vſi ſunt ea tamen vetuſtiſſimi quoq; autores, vt Heſiodus quidem luſciniæ, Archilochus autem vulpis, Horatius muris.

Quintilianus in quinto inſtitutionis oratoriæ libro.

Illæ quoq; fabulæ quæ etiam nisi ab Aesopo originem non acceperunt (nam videtur earum primus autor Hesiodus) nomine tamen Aesopi maxime celebrantur, ducere animos solent, præcipue rusticorum & imperitorum, qui & simplicius quæ ficta sunt audiunt, & capti voluptate facile iis quibus delectantur consentiunt. Siquidem & Menenius Agrippa plebem cum patrib9 in gratiam traditur reduxisse, nota illa de membris humanis aduersus ventrem discordantibus fabula, & Horatius ne in poemate quidem humilem vsum huius generis putauit in illis versibus.

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam.

Louanii apud Theodoricum Martinum Alostensem.
Anno M. D. XVII. Mense septembri.


TM
THEODRIC MARTINI

